Digitized by Google

Würdtwein

Digitized by Google

<36614825500011

<36614825500011

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

H. Mon. 613.

Digitized by Google

CHRONICON
DIPLOMATICUM
MONASTERII
SCHÖNAU
IN SYLVA ODONIANA
ORD. CISTERC.

ADORNAVIT

STEPHANUS ALEXANDER WÜRDTWEIN
EPISCOPUS HELIOPOLENSIS, SUFFRAGANEUS
WORMATIENSIS.

MANNHEMII
TYPIS HOSPITALIS CIVICI, PER F. W. CORDON,
MDCCXCII.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Digitized by Google

L. P. S.

Vir illuſtris Ferdinandus Valentinus de Gudenus de Re diplomaticâ multum meritus in Sylloge variorum Diplomatariorum Chartas Monaſterii ſchön-augienſis centum ſexaginta et ſex è Codice apographorum An. MDCCXXVIII. prelo jam ſubmiſit. Fortunâ interim adminiculante è Libro quodam copiali pervetuſto aliam dicti monaſterii Chartarum Centuriam adeptus, mox ſtatui utramque Collectionem, illam quidem, ut ajunt, extractivè, novam verò in extenſo Chronici ad inſtar diplomatici Orbi litterato communicare.

Notum perſpectumque eſt, ejusmodi Chronica commodo et incremento Hiſtoriæ haud parum deſervire, eisdem quoque jus germanicum et antiquioris ævi mores et conſuetudines, ſeries Familiarum genealogicas, varias difficultates geographicas multa luce perfundi atque enodari.

Ne autem error ex nomine ſuboriatur, noſtram Abbatiam Schönau ab aliâ ejusdem nominis in tractu Einrich non „procul à Nasſteden probè velim diſtin-„guas, quam nempe an. 1132. Rober-„tus de Lurenburg in proprio prædio „ſuo fundavit, et monaſticæ converſatio-„ni ſub conſtituto Abbate Hildelino atti-„tulavit, et (ùt littera fundationis ſub „Adelberto I. Archiep. Mog. innuit) be-„ato Martino contradidit ...: Àbbas an-„nuatim in feſto b. Martini mundum cor-„porale ſuper ipſum altare repræſenta-„bit in memoriam et argumentum, quod

„ejus

„ejus cœnobium de patrimonio ſit B. „Martini. de Guden. T. 1. p. 103. Conſer die Rettung derer Freyheiten und Rechte des unmittelbaren unter Churfürſtlich Mayntziſcher Ober und hochfürſtlich Naſſauiſcher unter Vogtey bis daher geſtandenen alten Benedictiner-Cloſters Schönau in der Rheiniſchen Landſchaft Einrich, und Ertzbiſchöfflich Trieriſchen Diœces. fol.

Schönaugia noſtra uno milliari Heidelbergâ diſtans Burchardum II. Epiſcopum Wormatienſem ſemper venerata eſt Fundatorem. Videatur mox ſequens pag. 1. cum ſq.

Portentoſam illam narrationem de Hildegunde, Virgine noveſienſi, è Terrâ Sanctâ reduce et ſexum occultante inter Monachos Schönaugienſes receptâ et in ipſo Novitiatûs anno ad Superos vocatâ fide hiſtoricâ non ſatis firmâ Cæſarii

Heiſterbacenſis nixam ſcientes omiſimus. Eam qui legere cupit, adeat Tritthem. Chron. Hirſaug. T. 1. p. 476. Broweri Annal. Trevir. T. 1. p. 84.

Vale, Lector Amice! et noſtris fruere laboribus. Dabam apud Vangiones IV. Nonas Januarii Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXCI.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONICON
MONASTERII
SCHÖNAUGIENSIS
DIPLOMATICUM.

Anno reparatæ ſalutis MCXLII. Buggo (qui et Burchardus) *a*) Wormatienſis Eccleſiæ Epiſcopus *b*) Monaſterio Schönau *c*) uno milliari Heidelbergâ diſſito * ſua dedit initia *d*); ut cultus et ſervitium Dei à Fratribus ſecundum regulam B. Benedicti *e*) militantibus promoveretur, et pius Fundator ipſemet poſt ſolutionem carnis ſuæ à laboribus inibi requieſceret *f*).

a) Verba ſunt ipſius Epiſcopi: *Ego Burchardus Wormatienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſive Miniſter, qui et Buggo nominor.* Sic quoque legimus in notitiâ Monaſterii Frankenthalenſis an. 1125. fundati. In aliis vero litteris, queis Prædeceſſorum ſuorum circa Eccleſiam S. Pauli diſpoſitiones ſuo confirmat ſuffragio, ita orditur: *Ego Buggo Sanctæ Wormatienſis Eccleſiæ advocatus Epiſcopus, qui et Burchardus nominor.* Eadem

 phraſi

phraſi uſus eſt ejusdem ſucceſſor Conradus, quædam prædia Cœnobio Schönaugienſi donans anno 1152. dum ait: *Hunc locum prædeceſſor meus Buggo, qui & Burchardus nomine, Pater pauperum & miſericordia plenus fundavit, ubi & in pace quieſcit.* Burchardus noſter hujus nominis ſecundus ex veteri claràque Ahorniorum gente ſuam duxit originem.

b) An. MCXV. mirâ animorum conſenſione ſedi Epiſcopali impoſitus.

c) Amœna ſolitudo paſcuis abundans nomen loco indidit. * Quodſi apud Ziegelhauſen orientem verſus montem conſcenderis, triſtes Cœnobii ruinas in Sylva Odoniana conſpicies.

d) Locum ex fundo & proprietate B. Petri Apoſtoli Wormatienſis Eccleſiæ Comes Boppo de Louſe 1) in beneficio habuit, & ab illo Bliggerus de Steinahe 2), qui eundem à rivulo Klupheleſbach 3) uſque Blindenbach 4) ex utraque parte fluvii, in pratis, agris, aquis, arbuſtis, cum adjacente Sylva inter Ganſaha & Ottersbuch reſignans denuo inbeneficiatus eſt ad duo talenta in oppido Wimphen 5), & in tribus villis Nuenheim 6), Boteshein 7) & Iſensheim. Hoc beneficium Comes rurſus tradidit in manus Bliggeri: cui Epiſcopus ſuperaddidit cenſum illum de Eccleſia Steinahe, qui reſpicit ad manum Epiſcopi in Anno biſſextili & vulgariter dicitur Kirchloſe. 8)

1) Ejusdem cum laude meminit Fridericus I. Imp. in Diplomate pro fundatione Aſceterii Lobenfeld An. 1181. ubi ait: Cœnobium Regali clementia hoc

hoc modo privilegiatum exiſtit, ut præter Regis defenſionem alium non haberet Advocatum, Boppo Senex, Comes de Louſun, quia ei vicinus erat; ſi quid quæſtionis natum fuerat, ſœpius ad eum perlatum eſt. & quia Regi gratum eſſe noverat, injurias eccleſiae illatas ſæpius vindicabat; poſt cujus obitum, quod ipſe affectu pietatis ac benevolentiæ rogatus fecerat, filius ejus Boppo, in contrarium uſurpare volens, Advocatum ſe eſſe cœpit fateri.....

2) Intelligitur Steinach ſupra Neckarum, ùt dicitur in Charta Anni 1225. Necker-Steinach; ut diſtingueretur à Creutz-Steinach & Abt-Steinach.

3) Klüpffelsbacher Forſt, ſaltus hodiedum bene notus.

4) Horæ dimidio à Schönau diſtat der Blindenbacher Hof.

5) Urbs Wimpina antiquum Eccleſiæ Wormatienſis patrimonium.

6) Villa ad pedem Montis Abrahæ è regione ſuburbii Heidelbergenſis ſita.

7) Villa haud procul à civitate Ladenburg evanuit.

8) *Kirchloſe*, Cathedraticum, penſio Epiſcopis ab Eccleſiis quot annis in ſignum ſubjectionis exſolvi ſolita. An. 1130. Adelbertus Archiep. Mog. in litteris fundationis Monaſterii Schwabenheim declaravit: *Eccleſia hæc tam à ſervicio noſtro, quam ab Archidiaconi, quod biſſextili anno perſolvitur, quod vulgariter Girloſe* (Kirchloſe) *dicitur, conſenſu ejusdem Archidiaconi libera permaneat.* de Guden. T. I. p. 90. & in Charta Chriſtiani Archiep. de an. 1170. dicitur: *Heinrico Præpoſito in Aſchaffenburg pro multis & honeſtis ſerviciis ſuis juſtitiam biſſextilis anni, que ad nos pertinet, que latine Cathedraticum, vulgariter vero Kirchloſe appellatur, in beneficium*

Digitized by Google

conceſſimus. de Gud. l. c. p. 260. In litteris Conradi I. Archiep. an. 1195. datis ſic legimus: *Illud innoteſcere quoque volumus, quod ſæpedicti fratres* (Eccleſiæ S. Petri) *ſufficienti coram nobis optinuerunt probatione, quod per univerſam pretaxate Prepoſiture* (ejusdem S. Petri) *Archidiaconatum, Cathedraticum anno, qui vulgariter Exitus noſter vocatur, Eccleſie ipſorum ad ipſius & officinarum ejus ruinas reſarciendas, debeat attinere. Nos igitur tum propter eorum habundantem probationem, tum propter Eccleſie & officinarum ejus manifeſtas neceſſitates, quas vidimus, ob B. Petri Apoſtoli reverentiam & honorem, jus tale ipſis & Eccleſie recognovimus* ... Priorem hanc Chartam revocat altera anni 1323. qua Mathias Archipræſul idem declarat. vid. Joannis Script. Rer. Mog. T. 2. p. 482.

e) Secundum inſtitutionem primævam in Monaſterio Schönaugienſi vixerunt Fratres ſub regula ſancti Benedicti militantes. vid. tenor fundationis. An. MCLII. dicitur in Chartâ Cunradi Ep. Wormat. *Placuit Cunrado Abbati cum fratribus ſuis in Schonogia ſub regula B. Benedicti militantibus bona ſua diverſis diſperſa in locis in unum colligere, ut ſibi viverent ſecreti ab hominum cohabitatione* ... An. 1184. *Cunradus Comes de Lauffen prædium Grensheim tradidit ſuper altare ſanctiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque virginis Mariæ in Schonaugia ad uſus fratrum & ſervorum Dei inibi ſub regula B. Benedicti militantium* ... Anno demum 1204. in confirmatione privilegiorum ab Innocentio III. P. P. Monaſterio Schönaugienſi conceſſa memoratur Ordo Ciſtercienſium: *Statuentes, ut Ordo Monaſticus, qui ſecundum Deum & B. Benedicti regulam*

gulam atque inſtitutionem Ciſtercienſium fratrum in eodem Monaſterio inſtitutus eſſe dinoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur . . . . Ab initio jam fuère ordinis Ciſtercienſis, qui Ordo hodiedum obſervat regulam S. Benedicti cum aliis conſtitutionibus.

f) Ita in fundatione. Confer. not. a. videantur litteræ in extenſo apud Guden. Syll. p. 3. Schannat hiſt. Wormat. Docum. p. 74. Gud. Syll. p. 11. Schannat l. c. p. 75. Burchardus mortalis vitæ finem (6. Dec.) attigit An. MCXLIX. VIII. Idus Decembris. Cadaver ejus Schönaugiam, ut petiit, translatum & terræ mandatum fuit.

Interea temporis, et quidem anno MCXLV. prædia in Frimersheim *a*) et Kircheim *b*) à Fratribus Megenlaho, Wolphrando et Hermanno Eccleſiæ Wormatienſi tradita Burchardus in Monaſterii Schönaugienſis proprietatem et uſum conceſſit. c)

a) Propè Alcejam. vid. Diœceſ. Mog. Tom. I. p. 345.

b) Rorbach inter et Schwetzingen, unâ horâ diſtat Heidelbergâ.

c) Interventu fratrum in Charta nominatorum, qui prius voluêre, ne vel ipſi Epiſcopo, vel alicui ſucceſſorum ejus liceat ea cuidam per beneficium alienare, ſed cuicunque congregationi ſive Clericorum ſive Monachorum placuerit

cuerit conferre, hoc ſit in arbitrii ejus poteſtate. de Gud. l. c. p. 12. Schannat l. c. p. 75.

Circa hunc eundem annum interventu Buggonis Epiſcopi Sigefridus Præpoſitus de ſancto Martino *a*) cum Canonicis ibidem Deo famulantibus prædium Eccleſiæ ſuæ in Bliggersforſt *b*) jure hæreditario ſub annua penſione XV. ſolidorum Fratribus in Schönaugia in perpetuum locaverunt. Similiter Gumpertus Præpoſitus de Nuhuſen *c*) cum Canonicis ibidem conſiſtentibus prædium Eccleſiæ ſuæ inibi ſitum, ſupradictis fratribus in jus hæreditarium conceſſerunt, eo videlicet rationis tenore, ut cenſum duorum ſolidorum annuatim perſolvant, et ipſi dictum prædium perpetim poſſideant. p. 6. ad finem cujuslibet extractûs indigitatur Sylloge de Gud.

a) Otto hujus nominis III. Imperator Eccleſiæ Collegiatæ S. Martini auſpicia dare voluit.

b) In Marcâ Kircheimenſi ſita. vid. not. 2. præcedens.

c) Propè Wormatiam. Cujus Eccleſia ſub invocatione S. Dionyſii primitus excitata, nunc S. Cyriaci compellatur. Inter Collegiatas Wormatienſes primaria fuit.

An.

An. MCL. Schönaugienſibus pariter munificum ſe exhibuit Güntherus *a*) Epiſcopus Spirenſis, per manum fratris ſui Comitis Bopponis *b*) eisdem tradens prædium ſuum in Huſen *c*) et Michelbuch *d*) tali determinatione pia: ut quousque ego, prout ipſe loquitur, in carne vixero, memoriam mei agant in orationibus ſuis, quod Deus actiones meas dirigat et Conſilia mea in ipſo permaneant; poſt vero vitæ meæ terminum, anniverſarium meum martyrologio eorum *e*) inſcribant et annuatim feſtive celebrent et Miſſam defunctorum ſpecialiter unaquaque hebdomada pro expiatione delictorum meorum decantent et ab omnibus presbyteris recordatio nominis mei agatur et omnium beneficiorum ipſorum particeps fiam, tam plenarie, ſicut alicui profeſſo eorum *f*) et ſicut mos eſt fieri pro fundatore loci ſcilicet Buggone Epiſcopo Wormatienſi. p. 8.

a) Scriptores quidam Guntherum perperam inter Comites Leiningenſes poſuêre; fuit enim natu Comes de Hennenberg, quemadmodum ante quinque jam ſecula de ortu Principum Thuringiæ ſcribens quidam obſervavit Anonymus in Codice membranaceo Bibliothecæ Capituli

pituli Metropolitanæ Moguntinæ ſeculi XIII. is, dum Ludovici Barbati filias recenſet, ita orditur: He ſunt filie, quas Cecilia Comiti Ludovico cum barba genuit; prima eſt Hildegardis, que Bopponi de Hennenberg conjuncta ab eo ſuſcepit duos filios, Bopponem et Godeboldum ... Godeboldus genuit quatuor filios: *Bopponem* et Bertoldum Comites, Gerhardum Wirzeburgenſem, *Guntherum* Spirenſem Epiſcopos, dein Bertoldus Comes edidit filium Bopponem, qui in terra ſancta defunctus, filium ſuperſtitem Bertoldum Comitem reliquit.

b) Comitis de Hennenberg, prout inter teſtes Chartæ Conradi I. Epiſcopi Wormatienſis pro monaſterio Schönaugienſi expreſſe memoratur. Confer. not. a. præcedens.

c) Uno milliari Schönaugiâ diſtans.

d) Prædium hoc unâ diſſitum horâ à Coenobio.

e) Inter Codices Martyrologia non poſtremum occupant locum in Bibliothecis: continent autem illa ſingulos totius anni dies, ſpatio inter quemlibet largiore relicto, cui inſcribebantur ſpeciales Eccleſiarum Benefactores.

f) Ex affiliatione et confraternitate ſpeciali hæc poſtulabantur fundata in articulo fidei: Communionis ſanctorum, ut docet ſymbolum Apoſtolorum.

Conradus *a*) Buggonis Eccleſiæ Wormatienſis ſucceſſor Epiſcopus à Fratribus Cœnobii Schönaugienſis anno MCLII.

MCLII. interpellatus, quod prædium illud in Frimersheim *b*), etſi magni eſſet nominis et magnæ utilitatis, non tamen plene poſſent conſequi utilitatem ejusdem prædii, tum, quia extra terminos Epiſcopatus ſitum erat; tum, quia inſtitutio et conſuetudo ordinis eorum, viciniam hominum ſéculariter converſantium, cohabitare cum eis prohibebat; neceſſitate compulſus dictus Epiſcopus Buggo hoc ipſum prædium commutavit pro alio prædio in Rorheim *c*), quod licet eſſet de proprietate Wormatienſis Eccleſiae, uſus tamen et antiquum beneficium erat Comitis Bopponis de Hennenberg *d*), et eorum qui ab eo in beneficium acceperant. Quorum omnium conſenſu, poſſeſſionem illam in Rorheim cum omnibus appendiciis ſuis à jure beneficiorum abſolutam in manus Epiſcopi reſignavit, qui comiti in recompenſationem beneficii ſui prædium in Frimersheim inbeneficiavit *e*), quæ ſalubriter et rationabiliter facta eſſe conteſtatus eſt Conradus Epiſcopus. p. 12.

a) E familia de Steinach, ætate quidem juvenis, ſed conſilio, ſapientiaque maturus, legitimis ſuffragiis an. MCL. ad Epiſcopalem evectus eſt dignitatem, ipſo comprobante Conrado Rege.

Digitized by Google

b) vid. an. MCXLV. not. 1.

c) Haud procul à Schwetzingen: pertinet ad villam Brühl.

d) vid. an. MCL. not. b.

e) Beneficium ſcriptoribus mediæ ætatis dicitur prædium fiſcale, quod à Rege, Principe vel ab alio quolibet ad vitam viro nobili utendum conceditur. Ita autem appellatum eſt, quod is ex mero dantis beneficio ac liberalitate illud poſſideat. Hinc *inbeneficiare* idem quod in beneficium dare. Du Freſne.

Anno eodem placuit Cunrado Abbati cum fratribus ſuis in Schönogia, bona ſua diverſis diſperſa in locis in unum colligere, ut ſibi viverent ſecreti ab hominum cohabitatione. Tradiderunt igitur cuidam Wolframo homini libero *a*) Gumperti et Adelberti Germano predium ſuum in Hermensheim *b*). Item aliud predium in Riſolvesheim *c*) cum manſo in Sickenheim *d*), additis, quas habuerunt, vineis in Nuzlohen *e*) et argenti examinati XV. marcis. Pro his vero omnibus homo predictus eisdem fratribus tradidit quendam viculum Bruchhuſen *f*) inter duas villas Leimheim *g*) et Lochheim *h*) ſitum cum adjacente ſilva... delegatione liberrima in manus duorum hominum liberorum Waltheri

et

et Cunradi, qui et ipſius delegaverunt manibus Bliggeri et filii ejus Bliggeri de Steinahe; et ipſi nichilo minus altari S. Marie Schönaugie jam tertia delegatione tradiderunt ſine omni querela et contradictione. Quod pactum Conradus Epiſcopus Wormatienſis auctoritate ſua confirmavit. de Gud. l. c. p. 13.

a) Apud Alemannos Liberi Homines dicuntur freye Herrn, quorum ſcilicet Majores nullam, quod ſciatur, ſervitutem ſervierunt: et hi ſunt propriè Nobiles. Nam qui ex ſervitute manu miſſi libertatem conſequebantur, ingenui dicti, et ab Alemannis *Semperfry* ex formula manumiſſionis: *ſemper ingenuus atque ſecurus exiſtas.* Goldaſtus ad Eckeardum junior. c. 9.

b) Hæc villa interiit, ejusque marca conjuncta Neckeravienſi.

c) Riſolvesheim (Reilsheim) et Bamenthal ab interfluente rivo Elſentz ſeparantur: ambo vici unicam communitatem conſtituunt: vicini ſunt inquilinis in Wieſenbach, Mauer, Angeloch et Hilsbach.

d) Seckenheim, Heidelbergam verſus unâ horâ diſtat Mannhemio.

e) Nuſsloch meridiem verſus adjacet oppido Wiſsloch.

f) Bruchhauſen villa in marca Kirchheim.

g) Rorbach inter et Nuſsloch oppidum Leimen ſitum eſt.

 h) Loch-

h) Lochheim et Leimen viculum Bruchhauſen vicinum habent.

Idem Epiſcopus Cunradus anno eodem prædium ſuum in Glismutteshuſen *) et Huſen multo pondere argenti comparatum à fratribus Udalrico de Warthuſen et Cunrado de Habelburc tradidit Schönaugienſibus. p. 75. Schann. l. c.

*) Ipſa charta loci ſitum exprimit addens: *in littore Nechere juxta Stenahe.*

Hoc adhuc anno Guntherus Spirenſis Epiſcopus, de quo ſupra ad annum 1150. prædium Spirenſis Eccleſiæ in loco Grensheim *a*) Abbati Cunrado ſuisque Fratribus et eorum ſucceſſoribus in Schönaugia Domino famulantibus in jus hæreditarium conceſſit eo rationis tenore, ut cenſum quatuor caſeorum in curtem Keths *b*) annuatim indè perſolvant. p. 16.

a) Tribus horæ quadrantibus diſtat à Wieblingen.

b) Vicus Eccleſiæ Spirenſis ad Rhenum, propè Schwetzingen.

An. MCLIX. Waltherus de Huſen homo liber Advocatiam in bonis Schönaugienſium Rorheimii, quam habuit in bene-

Digitized by Google

beneficio, Symoni Comiti reſignavit, eo rationis moderamine, ut hic rurſus eandem abſolute delegaret in manus Cunradi Wormatienſis Epiſcopi, à quo ipſe inbeneficiatus fuerat. Quod idcirco factum eſt, quia proprietas ipſius loci ſpecialiter ad Wormatienſem dyoceſim ſpectat. p. 18.

Anno MCLXV. Henricus Abbas Laurishamenſis Fratribus in Schönaugia quædam loca inculta et ſaltuoſa infra terminum villæ ſuæ Virnheim *a*) ſita, partim agris, partim paſcuis opoRtuna, certis limitibus determinata conceſſit; quatenus ea jure hæreditario teneant, excolant et poſſideant; veruntamen ab extirpatione ejusdem ſilvæ et ab inciſione lignorum, quæ banno non ſunt obnoxia, niſi obtenta licentia, prorſus abſtineant. Statutum inſuper, ut trecentos caſeos, ſingulos precio denarii *b*) loco decimarum annuatim perſolvant, quorum XXX parochiano in Virnheim, reliqui Abbatiæ Laurishamenſis uſui proveniant. p. 19.

a) In vicinia Walſtat et Käferthal.

b) Monetæ ſcilicet Laureshamenſis; quod jus obtinuêre ab Ottone III. Imp. in Brumat in pago Alſatiæ. vid. Codex Lauresh. T. 1. p. 148.

An. MCLXV. Antedictus Abbas Henricus Laureshamenſis prædium Eccleſiæ ſuæ videlicet VIII. huobas in Grensheim Cunrado de Hohinhart et per ipſum Blicgero de Steinahe ex antiquo beneficiatas; ſed ab utroque nobis abſolute reſignatas *a*) Fratribus in Schönau jure hæreditario ſub annua penſione X caſeorum, habentium pretium X denariorum perpetuo locavit; prædiumque Gagerenberch à Blicgero Eccleſiæ Laureshamenſi ſolempnitate legitima traditum prædicto Cunrado beneficii nomine concedens, ipſo eodem Blicgerum et filios ſuos reveſtiri *b*) fecit. p. 22.

a) Feudum refutare hodie dicitur, id eſt, jus in feudo prius habitum in alterum transmittere.

b) Inveſtitura eſt miſſio in poſſeſſionem. Fiebant autem traditiones ac inveſtituræ non nudo verbo aut per ſimplex inſtrumentum vel chartam, ſed per ſymbola quædam, quæ rei in alterius dominium translationem factam reâpſe denotarent. Fuerunt ſymbola illa primo ſtata ac fixa, id eſt, legibus vel conſuetudine apud omnes recepta, ac uſu definita; ita, ut uno eodemque ferè modo poſſeſſionis translationem factam advertere ſit, vel certè res eadem in eâ adhibitas, quæ poſſeſſionem in alium transductam omnino ſignificarent; adeo ut pœnè eadem

eadem apud omnes gentes forma ac formula fuerit.

An. MCLXVIII. Chunradus Wormatienſis Eccleſiæ Epiſcopus Fratribus monaſterii in Schönau novellationem agrorum ſeu pratorum, quatuor aratris ſufficientem *a*) in foreſta *b*) ad Virnheim pertinente, cujus quidem fundus Laureshamenſe monaſterium: regalis vero bannus *c*) Wormatienſem reſpicit eccleſiam, hilariter indulſit et confirmavit. Præterea, ut inter ipſos Fratres et ejusdem Eccleſiæ Virnheimenſis parrochianos totius contentionis et querimoniæ materia perpetuo tolleretur, ipſius præſentis parrochiani conſenſu et fratrum Wormatienſis eccleſiæ mediante conſilio decretum eſt, quatinus XXX caſei, ſinguli pretio denarii Wormatienſis, loco decimarum, quæ ibidem tam de fructibus, quam de animalibus quoquo modo elici potuerint, præfato parrochiano ſuisque ſucceſſoribus ab eisdem Fratribus annuatim perſolvantur et præter hos, duo caſei, ſimilis pretii, Epiſcopali Cameræ ob facti memoriam inferantur; atque de reliquo ab omni decimarum ſeu cæterarum exactionum moleſtia

 leſtia

leſtia quieti et immunes permaneant. p. 24.

a) Aratrum, terræ tantum denotat, agricola quantum per anni decurſum ſulcare et proferendis frugibus præparare valet.

b) Germanis: Forſt. Ockamus cap. Quid Regis foreſta eſt? Foreſta eſt tuta ferarum manſio, non quarumlibet, ſed ſilveſtrium, non quibuslibet in locis, ſed certis et idoneis, unde foreſta, e mutatâ in o, quaſi fereſta, hoc eſt, ferarum ſtatio, ita tamen ut agriculturæ non noceat.

c) Hic ſylvam Regalem innuit, cujus violatores banno aut mulctæ erant obnoxii.

An. MCLXXIIII. Idem Vangionum Antiſtes ad dilatandos terminos poſſeſſionum Coenobii Schönaugienſis, prædia quædam nemoroſa atque paſcuoſa Clauſtro contigua conferri curavit. *a*) Hæc prædia, cum eſſent juris B. Petri Apoſtoli, Comesque Heinricus de Louſen ex eis fuiſſet inbeneficiatus ab Epiſcopo Cunrado, rurſusque Bliggerus et Cunradus de Steinahe ab illo, hi in manus Comitis et hic in manus Epiſcopi reſignarunt, ac ſic demum ex libera donatione ſuper altare B. Mariæ oblata ſunt. Ne vero Wormatienſis Eccleſia in hoc facto detrimentum pateretur, ſupra-

pradicti Germani prædium ſuum in Schæfflenze *b*) B. Petro tradiderunt Quod prædium præfatus Comes ab Epiſcopo, et ab hoc rurſus ipſi. p. 29.

a) Termini prædictarum poſſeſſionum in valle amnis Ganſahen et inde per Kazental, usque ad lapidem cruce ſignatum. Ex hinc per Langeneck uſque Eppenbrunnen. Deinde ultra Ottersbuch, in vallem petra ſignatam, æquali ſpatio per latus Tagesberch, cum omnibus pratis inter montana ſitis, uſque Blindenbach.

b) Oberſchæfflenz villas Auerbach et Rüdersbach habet viciniores: in valle ſic dicta Schæfflenzerthal viſuntur Mittel- et Unter-Schæfflenz.

I.

Schönaugienſes pro utilitate prædii Bruchhuſen ineant concambium cum Abbatia Sunnsheim

1182.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam preſentibus quam futuris. Quod fratres de Sconaugia conſenſu Domini Gotefridi abbatis ſui concambium fecerunt cum dom. Cunrado monacho de Bruche conſentiente ſibi Heinrico venerabili abbate et fratribus ſuis de Sunnensheim. *a*) Nam predium eorum

Bruchhuſen *b*) diſperſum erat per diverſa loca in agricultura. Sed facta conventione cum predicto Cunrado monacho mutuaverunt decem et ſeptem jugera pro ſedecim jugeribus et dimidio et agrum agro copulaverunt ſine omni querela ct contradictione, ſimili modo actum eſt cum Regenbotone *c*) et Cunrado fratre ejus de Kircheim â quibus mutuaverunt octo jugera et dimidium pro totidem aliis nemine obſiſtente, vel contradicente. Hujus rei teſtes ſunt Heinricus Abbas de Sunnensheim. Gotefridus Abbas de Schonauvia. Cunradus Manegoldus monachi etc.

Acta ſunt hec Bruchhuſen anno Incarnat. Dominice M. C. L. XXX. II.

a) De Sunnesheim vid. Subſidia diplomatica T. IV. p. 329. et Acta Academ. Palat. T. III. p. 277.

b) vid. ſupra annus 1152. not. f.

c) In aliis Chartis Regenboto vocatur: Raboto.

In Charta Cunradi Comitis Palatini de Reno *a*) an. MCLXXXIV. confecta quædam concambia ſic recitantur: Comes Boppo de Laufen emit prædium à Burchardo nobili et libero homine de Elrebach,

rebach, cujus pars quædam intermixta fuit prædio Fratrum Schönaugienſium Grensheim. Proceſſu temporis Cunradus Comes frater Bopponis inito conſilio tradidit ei partem ſuam Caſtelli Horemberg pro prædicto prædio Grensheim. Frater uterque idem prædium in manus Palatini et Godefridi Abbatis Schönaugienſis delegavit ut id libera manu traderetur ſuper altare B. Mariæ V. in Schönaugia. Præterea idem Comes Boppo habuit juxta curiam Fratrum præfatorum Glismutehuſen *b*) quendam montem dictum Rotemberch in beneficio à Duce Bertholdo de Zäringen *c*). Tandem inito Conſilio in Generali curia Friderici Romanorum Imperatoris Moguntiæ, *d*) tradito alio prædio, memorato Duci ipſum montem in propriam redegit poteſtatem eâ ratione, ut eundem montem Cœnobio Schönaugienſi delegarent; Duci traditæ ſunt vineæ Fratrum in Cimberen. *e*) p. 32.

a) Conradus Comes Palatinus Rheni, Dux Sueviæ, Friderici I. Imp. frater, à quo in Comitem Palatinum Rheni electus eſt, Hermanno Rheni Palatino anno 1156. ſine prole defuncto. Tolneri Hiſtor. Palat. p. 130.

 b) In

b) In tractu Waldwimmersbach extat Rotenberg, et der Wiſswäſſerhof, dicta fortaſſis antea Gliſmuteshuſen.

c) De hoc Bertoldo Ligurinus lib. II. v. 411.

Virum magnis ſpectatum ſœpè periclis,
Allobrogumque Ducem, cujus ſub jure fatigat
Levis Arar placidas Rhodano quas commodat undas.

d) Imperator hoc anno Curiam adeo celebrem et famoſam omni Romano Orbi habuit in civitate Mogontienſi, ut nulla comparatione Anteceſſorum ejus Curiæ huic comparari poſſint. Non ſolum enim ex Romano Imperio, verum et multis aliis regnis Honorati illic adunati fuerant, liberaliſſimè eis Imperatore per triduum copiam impartiente. Cauſa tantæ frequentiæ fuit, quod filius Imperatoris, Rex Heinricus, enſe militiæ accingendus erat. Otto de S. Blaſio, Dodechinus, Godefridus monachus, et alii ad hunc annum.

e) Cimbern, Cimbarheim haud procul à fontibus Eliſenzæ in Gemmingenheimer marcha extitit. Hujus loci meminit Ottonis III. Regis præceptum, per quod Hiltiboldo Wormatienſi Epiſcopo regium Bannum in ſilvis circum Wimpinam, Biſchofsheim &c. Gemündam uſque confirmat. Terminatio ſylvarum ſic deſcribitur: a loco Gemundi, ubi Elizinza fluvius influit Neckaro fluvio, et inde ſurſum Elizinza uſque villam *Cimbere*, indeque uſque Gemundi. Item inde uſque villam Sueygerin et inde

inde uſque villam, quam dicunt Michelingarda & deorſum ipſum fluvium Garda in Neckarem fluvium & ſic deorſum ipſum fluvium Neckarum uſque Gemundi, ubi prædicta Eliſenza Neckaro influit. Schannat hiſt. Wormat. Documenta p. 28. Confer. Deſcriptio Elſenzgoviæ à cl. Lameyo Act. Acad. Palat. Tom. VI. p. 94. inſerta.

Circa idem tempus monaſterium Schönaugienſe multa acquiſivit in Scharren *a*) ex titulo donationis et emptionis. Nam quædam Hedewich de Lutinbach contulit illi in elemoſina, quidquid ibi habuit mobilium rerum et immobilium ſcilicet omnem domus ſuæ ſupellectilem cum pecoribus, agros cum pratis et curtibus; tam libera quam cenſualia. Quae cenſualia, cum ſint III. manſi et quarta unius, perſolvunt hoſpitali Lauriſſæ X. uncias. Hedewichis cum eſſet Miniſterialis Palatini, adhibita manu hæredum Helimberti et uxoris ſuæ, reſignavit hæc Palatino, deleganda Cœnobio. Poſt, idem Helimbertus cum uxore ſua vendidit Abbati XXVIII. marcis manſum cenſualem et dimidium in agris, areis et pratis, Inſulam quoque XXII. marcis et Palefrido *b*) et perna *c*). Plura recen-

Digitized by Google

recenſentur in eadem Charta tunc coempta. p. 35.

a) Villa hæc in Chartis antiquioribus Scarra nuncupata tractum occupat ampliſſimum et proximè adjacet villæ Sandhofen.

b) Palefridus, eſt equus levi paſſu ambulans.

c) Ein Schincke.

An. MCXCI. Sigehardus Lauriſſenſis Abbas et Conradus Palatinus ſuper juribus curtis Nuenheimenſis à Conrado de Steinach comparatæ hanc dedêre declarationem: Curtis juxta Nuenheim et omne ſuum circumſeptum à cenſu liberum eſt. Ante portam ejusdem curtis vinea vergens ad Capellam *a*) tres ſolidos perſolvit ipſi Capellæ. Tria jugera in Manewerch et tria in Steinreid libera ſunt. Adjacent his alia duo, quæ perſolvunt duos ſolidos ad montem S. Michahelis *b*). Comparata autem ſunt XII. marcis argenti examinati à Cunrado de Steinahe. p. 38.

a) S. Laurentii in Neuenheim.

b) An. DCCCCXII. Conradus Eberhardi Comitis Palatini frater & Conradi Franconiæ et Haſſiæ Comitis filius, Rex electus an. 911. ad locum ſanctum Aberinesburg dictum, qui eſt con-

conſtructus in honore ſancti Michaelis Archangeli, multa bona in proprium conceſſit. Tolner ad h. a. n. 16. Doc. et. n. 15.

An. MCXCVI. Poppo Comes de Lauffen monaſterio de Schönaugia duas partes villæ Locheim et quidquid prædii vel juris ibidem habuit pro quadringentis marcis vendidit, Henrico VI. Imperatore *a*) pro emtione ejusdem centum marcas contribuente, ut ſolempnis memoria illius in eodem monaſterio in poſterum habeatur. Datum apud Hagenowe XII. Kal. febr. Dein VIII. Idus febr. Lupoldus Epiſcopus Wormatienſis *b*) una cum fratre ſuo Friderico de Schönfeld renuntiat omni juri proprietatis in prædio Locheim, conferendo ſimul Schönaugienſibus Advocatiam à Vaſallo Hugone de Wormatia reſutatam.

XVI. Cal. juny ejusdem anni Henricus Imp. ſœpedicto Cœnobio litteras dedit ſuper reliqua parte allodii Locheimenſis; quæ omnia II. nonas july confirmavit. p. 39—48.

a) An. MCXCI. Heinricus VI. Friderico Patri ſucceſſit Imperator.

b) Lupoldus An. 1196. Cathedram Wormatienſem conſcendit.

Hoc

Digitized by Google

Hoc eodem Anno Henricus ortu Dux Saxoniæ ac in Palatinatu ſucceſſor donationem prædii in *Ophaue a*) à Socero ſuo Conrado factam, facultatemque incolis Palatinatus ſeſe cum omnibus rebus ſuis *b*) monaſterio Schönau offerendi indultam confirmat. p. 48.

a) Oppau olim ad dextram Rheni ripam in Lobdegau, nunc in Pago Wormatienſi prope Frankenthal exiſtit.

b) Hæc verba Ludovicus Comes Palatinus Rheni et Dux Bavariæ an. 1291. XII. Kal. Septembris (21 Aug.) ſic explicuit: Et quia idem inter alia continet inſtrumentum, quod homines ſui, cujuscunque profeſſionis aut conditionis exiſtant & novi inhabitatores quilibet: quod de his intelligimus, qui ſe ad dominium ſuum ſive territorium transtulerint aliunde, eidem monaſterio (Schönau) offerre valeant ſe & ſua: Et ex hoc nonnulli intellectum abſurdum trahentes, aſſerebant, quod ſe ipſos, non habito ad nos reſpctu aliquo, conferre poſſent in ſervitutem monaſterii ſœpeſati; abſurditatem illam omnino tollere cupientes, hoc ita conceſſimus & concedimus, ut quilibet ex noſtris, cujuscunque ſtatus fuerit; aut ex aliunde venientibus legitimo tempore uſu captus, ad ipſum ſuum monaſterium tranſire voluerit, et propoſitum ſanctæ religionis aſſumpſerit, de noſtra licentia, quam & damus præſentibus, illud poſſit. Et idem & non alius in ſeculo con-

conſtitutus præfato monaſterio offerre ſe valeat & ſua ſive mobilia ſive immobilia fuerint bona illa. In mortis etiam articulo cuilibet ex præmiſſis, quamvis remanſerit in ſeculo, concedimus, ut omnia aut quantum voluerit, eidem relinquat monaſterio pro animæ ſuæ remedio, de mobilibus bonis ſuis aut immobilibus.

II.

Super duobus manſis in Schuuetzingen. (1297.)

In nomine ſancte et individue Trinitatis. Luipoldus Wormat. Eiſpcopus ſpiritualium tam paci quam ſecuritati confidere cupientes lites et controverſias adverſus eos in preſentia noſtra habitas, qualiter deciſe ac determinate ſint, ſcripto memorabili mandari decrevimus. Notum itaque facimus omnibus preſentem paginam intuentibus, quod Rapoto de Kircheim duos manſos in Suuetzingen Abbati Godefrido de Schönaugia et ejus monaſterio nullo contradicente vendidit, quos cum vivente Rapotone ſine ullius querimonie ſeu proclamationis illatione decem annis et amplius quiete poſſediſſet, uxor Rapotonis eo defuncto ad preſentiam noſtram in ſyno-

ſynodo *) adverſus Diepoldum Abbatem bone memorie Godefridi ſucceſſorem ſuper manſis in Suuetzingen querimoniam movit et neceſſe fuit ut memoratus Abbas qui poſſeſſor videbatur et erat, tribus teſtibus eosdem manſus monaſterio ſuo emptionis lege uxoris vel heredum nec ullius reclamatione cognitam comparatos probaret. Quod cum die conſtituto per trium bone opinionis teſtium ſcilicet Cunradi ſacerdotis de Schriesheim et Sibotonis de Bergeheim et Hermanni de Waltdorf juramenta probaſſet, nos contra Rapotonis uxorem data ſententia Abbatem et ejus monaſterium in poſſeſſione, ſicut debuimus et jura docuerant, confirmavimus. Judicantes actrice in cauſa deficiente, omnes heredes perpetuo defeciſſe. Pagine quoque preſenti actionis ſeriem et diffinitionis hujus annotari fecimus ſigillo noſtro communientes, quatinus deinceps aliquis heredum Schönaugienſem Eccleſiam de hys manſis impetere preſumpſerit, hoc noſtre auctoritatis inſtrumento teſtimoniali a judicio non audiendus repellatur. Data Anno ab incarnatione Domini MCLXXXXVII. indic-

dictione XV. Teſtibus Ulrico Majori Prepoſito. Smucilino Majori Decano. Hartungo. Wernhero labia. Laicis: Sigefrido vritage. Gernodo et Gerhardo. Herchenberto richecen. Ruſtemo. Sigefrido. Cunrado. Adelberto. Wolframo. Gozmaro. Heinrico Wackerphil. Arnoldo. Heinrico milite. Sigefrido monetario et quam pluribus aliis. *

*) Quod non ſolum Eccleſiæ negotia ſacra, ſed etiam civilia in ſynodis fuerint pertractata & deciſa, alibi jam notavimus, & præſertim ad Concilium Moguntinum An. DCCCXIII. ad S. Albanum Moguntiæ celebratum.

III.

Charta Heinrici Palatini Comitis Reni a) ſuper Virneheim.

H. Dei gratia Dux Saxonie et Comes Palatinus Reni dilectis ſuis omnibus hoc ſcriptum videntibus ſalutem. Univerſitati veſtre notum eſſe volumus, quod Curiam in Virnheim *b*), quam de Eccleſia de Sconaugia in pacto tenuimus *c*), libere et abſolute ipſi Eccleſie remittimus pro remedio et anime noſtre ſalute et ne impoſterum aliqua oriatur de facto noſtro vel contradictionis ob-

 jectio

Digitized by Google

jectio vel ambiguitas, hanc cartam inde conſcriptam ſigilli noſtri teſtimonio communiri fecimus et confirmari.

a) Qùod Henricus Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ Brunswicenſis, filius Henrici Leonis, Ducis Saxoniæ & Bavariæ, & Gener Conradi Rheni Palatini in Schönaugiam maximè liberalis fuerit, paulo antè vidimus, cùm hominibus ſuæ ditionis cujuscunque ſtatus & conditionis dediſſet facultatem liberam, ſe ſuaque bona præfato offerendi monaſterio; hinc aptiorem locum noſtræ huic Chartæ, quàm iſtum, aſſignare haud potuimus; mox enim docet proprio Henricus exemplo, quòd ſuos imitari voluit ſubditos.

b) De hoc loco inſigni jam ſupra ad an. 1165.

c) In quo conſtiterit hoc pactum, Henrici filius enarrat inferiùs ad an. 1213. qùod nempe parens ſuus curiam prænominatam à Schönaugienſibus comparâſſet eo pietatis prætextu et ſtudio, ut eandem illis imposterum in eleemoſynam reconſignando, memoriam ſuam obtentu perpetuæ orationis celebrem efficeret.

An. MCXCVII. Lupoldus apud Vangiones Epiſcopus in celebratâ ſynodo Schonaugienſi Cœnobio adjudicat duos manſos in Swezingen *) adverſùs impetitiones viduæ Rapotonis nobilis de Kircheim. p. 52.

*) Uno milliari Heidelbergâ diſtans oppidum ab horto Electorali amœniſſimo celebre.

An.

An. MCXCVIII. Volckmarus de Hendſchuesheim Dieboldo Abbati Schönaugienſi vendidit vineam in Nuenheim, quæ ad Capellam S. Laurentii ibidem dat cenſum LII. librarum olei et XXX denariorum. p, 54.

An. MCXCVIII. confectum eſt inſtrumentum emptionis venditionis ſuper prœdio Locheim cum jure patronatûs inter Lupoldum Epiſcopum Wormatienſem et Diepoldum Abbatem Schonaugienſem. p. 55.

An. MCXCIX. Idem Antiſtes commutat bona Eccleſiæ Wormatinſis in Schriesheim *a*) erga curtem Schönaugienſem extra primos muros civitatis Lobetenburg. *b*)

a) Duabus horis Heidelbergâ diſtat. Manſionem ibi Romanorum fuiſſe, teſtantur effoſſæ Antiquitatum reliquiæ, & anno 1766. detectum columbarium & balneum &c. vid. Academ. Theodoro-Palatinæ T. II. p. 107. ſeqq.

b) Ad Nicrum infra Heidelbergam uno milliari diſſita civitas antiquiſſima, ubi quondam Dagoberti Regium extitit Palatium. Lobetenburg hodie dicitur Latenburg.

Digitized by Google

IV.

Deciſio litis inter nos & villanos uſurpantes ſibi Alemaniam almeindam in bonis noſtris. (1203.)

Ingebrandus hoc ſcriptum viſuris in perpetuum. Propter injurias que per invidiam et perſuaſionibus malignantium cenobiis ſepius irrogari ſolent, perutile eſt ſcripta fieri, per que hujusmodi injurie removeantur. Quapropter ſciat preſens etas et ſucceſſura poſteritas, quod cum aliquando villani de Scharre *a*) cum fratribus de Schonaugia controverſiam haberent, eis imponentes, quod Almeindam *b*) ſuam eis auferrent, ad quam litem deponendam Dominus meus Epiſcopus et ipſe advocatus Dapifer *c*) ſcilicet me deſtinaverunt, ſuper quo utramque partem conveni et ipſi fratres eadem bona que villani Almeindam ſuam vocabant, coram me ſecundum juſticiam optinuerunt, et ut de cetero ratum et ſtabile permaneat, ne aliqua inde impoſterum oriatur diſſenſio, preſens ſcriptum ſuper hoc fieri feci et meo ſigillo communiri. Quia tunc plenam commiſſionem ſuper omnia bona illa ex parte Domini mei Dapiferi habui.

habui. Hujus rei teſtes ſunt: Arnoldus Narto. Rumehardus. Sigewardus. Hertwias fratres de Sunthoven. Wernherus de Sunthoven. Preterea omnes villani de eadem villa. Marquardus. Rudegerus. Carpentarius, et omnes villani de Scar[illegible]. Engelwalt. Volrat, et ceteri villani de Gerolvesheim. Cunradus Scultetus de Heidelberg. Acta ſunt hec Anno Domini Mill. CC. tercio. Indictione ſexta.

a) De quâ ſupra crebrior facta mentio.

b) Bona Univerſitatis communia.

c) Splendidum Dapiferorum fuiſſe jam olim officium, inter alia etiam manifeſtum fit ex S. Bernardi ep. 78. ad Sugerium Abbatem S. Dionyſii, ubi ait: -- qui cum honores non paucos, ſed quantos nec Canones niſi inviti patiuntur, teneat in Eccleſia, unius tamen, quem in Palatio aſſecutus eſt, magis gloriatur ex nomine, quam cœterorum quolibet appellatur. Cumque ſit Archidiaconus, Decanus Præpoſitusque in diverſis Eccleſiis, nihil horum tam eum, quam Regis delectat vocitari *Dapiferum* .... Ergo pulchrius eſt vocari *Dapiferum*, quam Decanum, quam Archidiaconum? et quidem, ſed Laico, non Clerico; Militi, non Diacono ... ſic quippe ſublimatum honoribus Eccleſiaſticis, ut nec Epiſcopis inferior videatur: ſic implicatum militaribus officiis, ut præferatur Ducibus. Par ſatis utrobique abu-

 ſio,

ſio, ſive quod Diaconus menſæ Regiæ deputetur miniſterio, ſive quod Regis *Dapifer* miniſterio altaris inſerviat &c. Dapiferorum ſolenne eſt, in Imperatoris inauguratione prima fercula equo elata Imperatoriæ menſæ inferre; hinc quandoque ab antiquis dicebantur Infertores.

An. MCCIV. Innocentius III. PP. privilegia monaſterii Schonaugienſis confirmat, ejusque grangias ſive prædia recenſet nempè in Nuenheim, Schriesheim, Marpach *a*) novam curiam in Virnheim, Scharra, Nutensheim *b*), Rorheim, Grensheim, Bliggersforſt, Bruochhuſen, Locheim, Ericheshuſen, Glismuteshuſen, Neckerhuſcn *c*) et in Michelnbuch. (Horum ſitus jam ſupra maximam partem annotatus reperitur.) Concedit immunitatem à Decimis atque facultatem recipiendi tam liberos quàm ſolutos eosque retinendi. Fidejuſſionem prohibet. Teſtimonium monachi in propria cauſa valere pronunciat. Eximit eosdem à Synodis Diœceſanis quoad perſonas et a judicio ſeculari quoad res. Circa electionem Abbatis diſponit....

a) In marca Gros-Sachſenheim.

b) Propè Heſsheim & Heppenheim an der Wieſe.

c) Ad ſiniſtrum Nicri litus è regione civitatis Ladenburg.

An. MCCVI. Decimo quarto Kalend. Martii (16. Febr.) Lupoldus *a*) Moguntinus Electus Wormatienſis Epiſcopus nobis enarrat, qualiter monachi Schonaugienſes cum Heinrico de Kircheim et fratre ejus Cunrado ſuper decima ſua in Grensheim, quæcumque intra ambitum ipſius provenire poterit, tam in nutrimentis animalium, quam aliis quibuscunque rebus, compoſuerint. Cum enim generaliter omnis decima prædictæ curtis Grensheim parrochiæ pertineat in Wibelingen, ita ſanè, ut tertiam ejus partem ſacerdos ibidem percipiat; reliquas verò duas Gerhardus de Schowenburch a Lauriſſenſi Abbatia *a*) in beneficio habeat; ſed et ipſe Gerhardus memoratos Germanos de Kircheim inbeneficiaverit; elaborare ſtuduit Abbas Schonaugienſis, ut ab ipſis eam decimam, quæ intra ſepta curtis concluditur, VIII. unciis totaliter redimeret: Tandem utrique in eo convenerunt, ut datis ad præſens X marcis, per duodecim annos nihil omnino pro eadem decima cogerentur exſolvere et in reli-

 quum

quum VIII. uncias, ſicut anteriori tempore, perpetuo præberent. Intervenit quoque pactum, ut ſi aliquando ſœpe nominati Germani aliquem eadem decima inbeneficiarent, hanc ſemper exceptionem interponerent, ne quid amplius, quam VIII. uncias pro circumſepta decima liceret extorqueri. Hanc compoſitionem in præſentia Epiſcopi et Gerhardi de Schowemburg in Generali hominum conventu *c*) loco Stalbuhel *d*) contigit ordinari. p. 67.

a) An. 1200 Lupoldus, ſede Moguntina per Conradi Archipræſulis obitum vacante, à parte Canonicorum potiore electus eſt Archiepiſcopus; ſed urbe tota adverſus hanc electionem reclamante ac in ſeditionem abrepta, concordibus trium duntaxat ſuffragiis itum eſt in Sigifridum ab Eppenſtein ....

b) Lupoldus, Henrico Cæſare Panormi in Sicilia an. 1197. III. Kalend. Oct. morte præmatura ſublato, contra Ottonem Saxonem ex parte Philippi Suevi ſtetit. Hic Abbatiam Laurishamenſem interea vacantem Lupoldo in ſervatæ ſibi hactenus fidei præmium adminiſtrandam commiſit.

c) Placita tunc adhuc ſub Dio habita, ubi per annum aliquoties homines certi & determinati tractûs convenientes ſuas proponebant cauſas à judicibus examinandas atque decidendas.

d) Lo-

Digitized by Google

d) Locus ubi generalis hominum conventus erat, *Stalbühel* nominabatur. Cl. D. de Widder circa nominis etymon & loci ſitum diſquiſitionem inſtituit, eamque inſeruit den Rheiniſchen Beyträgen erſter Jahrgang 12tes Heft. 1 Stück.

Eodem an. MCCVI. Gotefridus de Lobetenburc *a*) jugerum unum vineæ in Duſſinheim *b*) et prædium ſuum in Hermensheim Cœnobio Schönaugienſi donavit ita, ut eidem ſolverentur annuatim XIII. maldra ſiliginis et IIII. ordei II. anſeres, III. Capones et XXX denarii. De his proventibus porro ordinatum eſt, ut ſingulis annis plebano de Lobetenburc IIII. ſolidi et IIII. denarii offerantur et de reliquo in vigilia Lucæ Evangeliſtæ conventui plenum ſervitium cum vino de Duſſinheim perpetuo provideatur. p. 70.

a) In Chartis promiſcuè audit: Lobdenburg, Lobetenburc, Lautenburg (Ladenburg).

b) Oppidum ad Strata montana unâ horâ diſſitum Heidelbergâ. Ibidem Caſtrum monti impoſitum, à quo Dynaſtæ de Schauenburg nomen traxêre.

An. MCCVIII. Diethericus filius Marquardi Dapiferi de Anewilre conſenſit in concambium ſemitæ ad ampliandam

 curtim

curtim Schönaugienſem in Scharra. p. 72.

Eod. an. Dudo miles de Weibſtat cedit Schönaugienſi Cœnobio partem Decimæ in Blickersforſt per Comitem Popponem de Lauſſen. p. 74.

Eod. anno Liupoldus Maguntinæ ſedis electus, Wormatienſis Epiſcopus Abbati in Schönau licentiam indulſit, diſponendi de Eccleſia in villa Locheim ſita, quidquid voluerit, diruendi eam in eodemque loco curiam et quidquid eis placuerit, ædificandi. p. 75.

An. MCCIX. Schönaugienſi monaſterio mota eſt quæſtio ſuper inſulis Rheni in Opphaue. Delegati ſummi Pontificis bannum fecêre dicto monaſterio de eisdem bonis juſtè obtentis; ut ſi quis, ſuadente diabolo, aliquam vim vel injuriam Abbati vel fratribus ſuis ibidem irrogaret, ſciret ſe ſententiæ excommunicationis innodatum, nec relaxandum, niſi reſipiſceret et monaſterio condigne ſatisfaceret. p. 76.

An. MCCXI. Henricus Comes Palatinus Rheni ac Dux Saxoniæ Fratres Schönaugienſes ea libertate donavit, ut eorum poſſeſſiones et in Scharra ac circum-

Digitized by Google

cumquaque ibidem ſitæ beneficio, in quo Marquardus Dapifer de Anewilre in Bergſtratia *) et in Scharren inveſtitus eſt, in nullo forent obligatæ, ſed, deciſæ omnino et ab ipſius jurisdictione exemptæ, nullo unquam ſervitio aut qualicunque jure ab eodem Marquardo ac ſuis hæredibus debeant prægravari. p. 81.

*) Bergſtraſs, Strata Montana.

An. eod. Gerhardus de Schowenburg renuntiat prætenſo juri advocatitio curtis Fratrum Schönaugienſium in Nuenheim. p. 82.

An. MCCXIII. Henricus juvenis Comes Palatinus Reni donationem curiæ Virnheimenſis à parente olim (vid. ſupra Henrici parentis Charta ad an. MCXCVI.) factam, ratam habet. p. 83.

An. MCCXIV. Ludewicus *a*) Palatinus Comes Reni Dux Bavariæ reverſus à militia Domini Regis Friderici de inferiori Germania *b*) damna ab hominibus ſuis monaſterio Schönaugienſi interim illata compenſat, piſcationem ei in Opphouuin (Oppau), donec monachi pura conſcientia dicerent ſibi ſatisfactum, liberaliter conferens. p. 85.

a) An.

Digitized by Google

a) An. ſequente Fridericus II. Rex proſcripſit Henricum Saxoniæ Ducem, Comitemque Palatinum Rheni. De Palatinatu in Comitiis Ratisbonenſibus inveſtivit Ludovicum Bavariæ Ducem. vid. Tolnerus hiſtor. Palat. c. XVI. p. 358. et cap. XVII. p. 372.

b) Prælium ad pontem Bevinum Flandriæ Inſulam inter & Tornacum ſtrenuè commiſſum latè deſcripſit Albericus ad an. 1214. & Mathæus Pariſ., Godefridus ad an. 1214.

Eodem anno XII. Kal. Julii. Innocentius III. P. P. protectionem et Curam monaſterii Schonaugienſis Committit Archiepiſcopo Moguntino Apoſtolicæ ſedis Legato et Suffraganeis ejus atque Prælatis per Provinciam Moguntinenſem conſtitutis. p. 86.

Hoc adhuc anno Conradus Epiſcopus Spirenſis, Imperialis Aulæ Cancellarius dimittit dominium directum in bona quædam apud Locheim erga oblatas poſſeſſiones alias in ſuperiori Aulsheim. *) Concambium autem ſic celebratum refertur: Bona apud Locheim ab Epiſcopis Eccleſiæ Spirenſis feudali jure tenebat Gerhardus de Schovenburc et de illo ſimiliter nobiles de Helmbotísheim Lupfridus et Erkimbertus et ab his tertio loco infeodata fuerunt Craphdoni

doni de Owilinsheim, qui Kraphdo ipſa bona vendidit monaſterio Schonaugienſi pro C. et III. marcis examinati argenti. Pro his bonis obtinuit Eccleſia Spirenſis in villa Owilinsheim XIIII. jurnales vinearum, agrorum et pratorum atque curtim cum ædificiis benè conſtructis .... p. 89.

*) vid. ſubſid. Diplom. T. V. p. 297.

An. MCCXVI. celebratus eſt contractus emptionis venditionis allodii in Scharren inter Danielem Abbatem emptorem et Bertolfum de Dirmſtein venditorem, à Collegio Majori, Univerſitate Conſilii ac Primatibus Civitatis Wormatienſis confirmatione munitus. p. 93.

An. eodem Ludewicus Bawarie Dux Palatinus Comes Reni exemptionem poſſeſſionum in Scharren à Conrado Palatino primitus, poſtea verò ab Henrico Saxone Schönaugienſibus indultam confirmat; easque a feudo Dapiferorum de Anweiler et Hauſen ſegregatas fore pronuntiat. p. 96.

An. MCCXVII. Henricus Præpoſitus Neohuſanus quà Archidiaconus *) inſtrumenti emptionis venditionis ſuper prædio Locheim cum jure patronatûs

ſuo

ſuo ſigillo non communiti defectum ſupplet. p. 98. vid. an. 1198.

*) E familiâ Comitum Saræpontanorum Lupoldi in Cathedrâ Wormatienſi ſucceſſor.

Eodem anno lis ſuper medietate navis in Heidelberg vertens inter Schönaugienſes, Erenfridum et Gerbodonem mediante Ludovico Duce ſic compoſita: ut modò dicti Germani non ſub titulo hæreditatis, ſed de gratia Conventus Schonaugienſis, quoad vivant, ac poſt mortem eorum, duo tantum de filiis utriuſque pro XVI. urnis vini et X. unciis Wormatienſ. eandem navim ſint habituri; filio Ernfridi V. urnas et V. uncias: filio Gerbodonis X urnas et V. uncias perſolvente. Quibus defunctis, Conventus de ſua nave liberè et abſolutè poſſit ordinare. p. 99.

Eodem adhuc anno Cœnobium noſtrum ex pia liberalitate obtinuit ab Hugone milite de Starckenberg, quidquid proprietatis habuit in villa Hentſchuhesheim in vineis et agris et unam curiam. In eodem caſtro Starckenberg *) erat juvenis Cognomine Dimſtmannus, qui ad dictam villam legavit Schönaugienſibus bona ſua nempe ad dimidium aratri et

IIII.

Digitized by Google

IIII. vineas et II. jugera vinearum. In his bonis reſtitit Cœnobio Heinricus de Eppingen, affirmans, quod idem Dimſtmannus legaverit eadem bona pueris materteræ ſuæ, quam ipſe Heinricus habebat uxorem, ita videlicet, ſi ipſe Dimſtmannus ſine hœredibus decederet. Tandem ex mediatione ad hoc perventum eſt; quod prædictus Heinricus permiſit monaſterio XL. jugera agrorum et unum jurnalem vineæ et aream propriam adjacentem curiæ ab Hugone de Starckenberg Cœnobio donatæ, quæ inde etiam ampliata fuit etc. p. 101.

*) Caſtrum à tempore antiquiſſimo inſigne Oppido Heppenheim ad ſtrata montana imminens.

An. MCCXVIII. Luphridus de Weibſtatt vendit monaſterio Schönaugienſi navalem tranſitum Nicri fluminis apud Heidelbergam à Præpoſito S. Andreæ Wormatiæ feudi jure poſſeſſum. Luphridus autem Eccleſiæ S. Andreæ in reſtaurum jure proprietatis reddidit prædium ſuum in Rorbach *) carioris æſtimationis et illud ab hac Eccleſia in beneficio recepit, tali accedente pacto, ut quicunque de hœredibus Lupfridi idem prædium poſt ipſum poſſeſſurus eſt,

eſt, de manu Præpoſiti illud feudali jure ſuſcipiet. p. 103.

*) Prope Heidelbergam.

Adhuc anno eodem Conradus Abbas Laurishamenſis Schönaugienſibus donat reliquum Saxorum domûs lapideæ in Scharra hoſtili manu exuſtæ et deſtructæ. p. 106.

An. MCCXIX. Lis inter Schönaugienſes et villanos in Nuenheim ſuper opere lateritio (Zigelhütte) exorta compoſita fuit. p. 107.

An. MCCXX. Ludovicus Palatinus Comes Reni aſſenſum præbet transactioni initæ inter Schönaugienſes, Cunradum de Kircheim et Hermannum de Waltorf ſuper exciſione nemoris Hegnehe in marca Kircheim. Convenerunt autem monachi, quod Cunradus VI. marcas ab eis accipiendo, jus dimidiæ plauſtraturæ, quæ ad ipſum pertinebat; altera parte hœredibus fratris ſui cedente, communicata manu uxoris ipſius et liberorum ſuorum Eccleſiæ Schönaugienſi contraderent. Circa Hermannum ſic fuit ſtatutum: ut ipſi XX. marcas, in quibus monaſterio tenebatur præfatus H, pro dampnis in eodem nemore illatis, relaxan-

laxando; XII. inſuper marcas pro jure ſui conventus conferrent eidem. Ita videlicet, ut ipſe cum uxore et pueris ſuis Cunrado de Kircheim et hœredibus fratris ſui illud, prout juſtitia exigebat, primitus reſignarent et poſtea cum omni jure ſuo Cœnobio Schönaugienſi donationem facerent. p. 112.

Tunc quoque Cunradus de Swetzingen filius Potigularii *) quædam bona ibidem ſita Abbati et Conventui Schönaugienſi pro L. libris Spirenſ. vendidit. Cum verò præfatus C. eadem bona ſub titulo prædii aliquando poſſediſſet, ſed pro reformatione cujusdam reconciliationis jus proprietatis Cunrado de Kircheim fideli Ducis Ludovici reſignaſſet et ipſa denuo in feodo ab eodem recepiſſet; quin etiam cum prænominatus Cunradus de Swetzingen jure mancipii ad Ducem pertineret, oportuit juſtitia exigente idem prædium, quod alter ſub titulo proprietatis, alter autem nomine feodi poſſederunt, communicata manu et conſenſu ab utroque Duci Ludovico reſignari et per eundem Eccleſiæ Schönaugienſi legitimè donari, id quod ex ſpeciali affectu ſic eſt peractum. p. 114.

 *) Bu-

Digitized by Google

*) Buticularius, penes quem buticularum (bouteilles) vel potûs cura erat. Pincerna.

In feſto B. Mariæ Magdalenæ (22. Jul.) ejusdem anni transactionem Cœnobium noſtrum iniit cum Hirzberga: Stralenbergiis ſuper bonis in Schriezesheim ratione juris et nexûs advocatitii. Convenere partes in Schönau. p. 116.

Circa idem tempus Kircheimiis Schönaugienſes ſuper advocatia in Blickersforſt aliisque moleſtantibus et damna eisdem inferentibus res ad compoſitionem tendit, electis ab utraque parte arbitris, qui ſententiam tulêre, ut Heinricus de Kircheim ac fratres ſui vel eorum futuri hœredes monaſterium Schönaugienſe ſuper advocatia, tritico, agro novo et manſis aut aliis generaliter cauſis nunquam deinceps præſumant impetere. Cui ſententiæ, Abbate annuente, ipſi non ſolùm conſenſerunt, immo defenſioni Schönaugienſis eccleſiæ fideliter ſe invigilaturos promiſerunt. Sicque lite ſedata, pax eſt reformata. p. 119.

Tunc quoque Donatio domûs cum area à Sibodone Advocato Heidelbergenſi

genſi adhibita manu Ducis Ludovici facta eſt Schönaugienſibus. p. 121.

Anno MCCXXII. Cunradus Laurishamenſis Abbas in ſatisfactionem damnorum ab hominibus ſuis monaſterio Schönaugienſi illatorum et ad XXV. talenta Wormat. æſtimatorum, libertatem bonorum concedit et remittit eis varia jura activa in Virnheim. p. 123.

An. MCCXXIII. Compoſitio inter Schöaugienſes et Lobenfeldenſes *a*) ſuper omiſſa ab his de prædio in Nuenheim quondam Schönaugiæ vendito, Warandia *b*) tali modo facta eſt in Synodo Præpoſiti Wormatienſis, ut emtores venditoribus V. maldra frumenti reſtituant de pretio prædii prætaxati, niſi aliter in computibus inveniatur. p. 126.

a) Duobus Heidelbergâ milliaribus diſtans ad dextram Aliſentiæ ripam vicinas habet villas Spechbach, Mönchzelle, Langenzelle, Waldwimmersbach.

b) Warandia. Cautio de evictione præſtandâ.

Eodem anno Conradus Lauresha- menſis Abbas concambium quorundam prædiorum factum inter fratres de Schönaugia et Godefridum Præpoſitum

D 2 ipſius-

ipſiusque Conventum in monte S. Michaelis approbat et confirmat. p. 129.

An. MCCXXIV. Bliggerus de Steinach Cœnobio Schönaugienſi confert quatuor jugera à Gerhardo de Schauenburg nexu feudali ſoluta. p. 131.

Eodem anno Wernherus de Selſen coram Miniſterialibus et conſiliariis Wormatienſibus renuntiat omni juri ſuo in Scharren, reſignando Schönaugienſibus eadem bona, recipiens ab eis XV. marcas. p. 132.

Tunc etiam Beringerus Spirenſis Epiſcopus Fratribus de Schönaugia confirmat immunitatem à vectigali Spiræ, videlicet, ut ipſi à theloneo et ab omni exactione, ſicut hactenus fuerunt, liberi et immunes eſſe debeant. Maximè, cum illi poſſeſſiones ædificiorum in civitate Spirenſi habeant, ratione quorum ſuo jure illic, ſicut cœteri incolæ gaudere et participare merentur. In jure nauli de equitaturis ſolvendo, nequaquam ad amplius eosdem, niſi ut Cœteros cives, aſtrictos aut aſtringendos eſſe decernens. p. 132.

Circa hos dies idem Epiſcopus Spirenſis fecit innoteſcere, qualiter à Præde-

deceſſoribus ſuis Fratribus in Schönau olim fuerit indultum, ut in nemore Spirenſis Eccleſiæ Forſt ligna jacentia colligerent, ligna quoque ſtantia ſed infructifera pro neceſſitate Grangiæ ſuæ in Rorheim, paſſim ſecarent in perpetuum, in hujus beneficii memoriam novum plauſtrum cum inſtrumentis feno capiendo neceſſariis annuatim in curti Epiſcopali Kaytſch *a*) quæ dicitur Fronehof *b*) exhiberent. Hæc fuêre Confirmata et inſuper concedebatur ut ex dicto nemore ligna pro aratris faciendis ſumerent et pro tali commodo quatuor caſeos annuatim darent. p. 133.

a) Ketſch propè Schwetzingen.

b) Auf welchem Frohndienſte haften.

Eodem adhuc anno Stephanus Præpoſitus in Nuhuſen providit, ut fratres de Schönau de molendino, quod habent ſupra Neckarum apud Wiblingen ſingulis annis XV. libras olei in uſum luminis debeant Eccleſiæ ibidem præſentare. p. 134.

Circa idem tempus ventilata eſt in Synodo Wormatienſi controverſia de ſylva Hegenehe inter Schönaugienſes et relictam Markolfi de Kircheim. Heinricus

ricus Epiſcopus Synodo præſidens receptis utriusque partis teſtibus et atteſtationibus ſollempniter publicatis et aliis tam publicis quam privatis documentis ex parte Abbatis introductis cognovit, plenariè fuiſſe probatum quod jus proprietatis et poſſeſſionis ad monaſterium memoratum integre et communiter pertineret. p. 136.

Dein cùm Odilia relicta Hermanni Rukhelini univerſa bona ſua, ſita in Scharra ab homine omni libera et indominicata vendidiſſet jure proprietatis fratribus in Schönaugia, ut hi ſecurè prædium poſſiderent, Hermannus Odiliæ ſenior filius cum fratribus ſuis ad placitum Generale Lindesberg *) acceſſit, ubi coram multitudine hominum copioſa jam dicta bona in manus Comitis Dietheri de Kazenelenbogen reſignavit et Comes in manus Abbatis adhibitis inſuper ab Hermanno fidejuſſoribus, qui Schönaugienſibus perpetuam Warandiam de bonorum illorum libertate præſtarent. Dein quoque apud Wormatiam per manus Heinrici ejusdem civitatis Epiſcopi prævenditam poſſeſſionem monaſterio aſſignavit. Similiter

liter Hermannus Miniſterialis Beringero Spirenſi Epiſcopo ſœpedictum prædium reſignavit, qui id Schönaugienſibus conferendo in omnibus ſirmavit. p. 138.

*) vid. ſupra an. 1206. not. 3. & 4.

Anno MCCXXV. Kal. Apr. (1. Apr.) Ludewicus Comes Palatinus de Reno et Dux Bavariæ in Fratres de Schönaugia liberalis indulſit, quatenus ii ſive frumentum ſive vinum vel aliud utendum in Grangiis et in clauſtro Heidelbergam importaverint aut exportaverint, nec theloneum, nec ungelt, nec pretium tractoribus vini, qui dicuntur Winſchrotere inde perſolvant, ſed in rebus ejusmodi a qualibet exactione liberi ſemper exiſtant. Si quid autem inibi vendendum duxerint; in eo conſuetudini ſua juſtitia conſervetur. p. 141.

V.

De navali tranſitu in Heidelberc. (1225.)

Cunradus Dei Gratia Eccleſiae Sancti Andree Wormat. Prepoſitus *a*) omnibus preſens ſcriptum intuentibus in perpetuum. Luphridus miles de Weibe-

Digitized by Google

ſtat paſſagium in Heidelberch id eſt navalem tranſitum cujus proprietas dicte Eccleſie noſtre attinebat, de manu noſtra in feodo aliquando *b*) receperat et transacto aliquo temporis ſpatio in manus noſtras reſignavit. Ad paſſagium nunquam aliquis heredum ſuorum vel alius a nobis recepit, excepto conventu Eccleſie Schönaugienſis, cui ipſum paſſagium de conſenſu prelibate Eccleſie noſtre contulimus in perpetuum poſſidendum poſt reſignationem memoratam. Ne igitur Conventus ab aliquo indebite ſuper eodem paſſagio moleſtetur, preſens ſcriptum ei contulimus, ſigilli noſtri munimine roboratum. Actum Anno Dominicæ Incarnationis M°. CC°. XX°. quinto. quarto nonas Septembris (2. Sept.) Indiccione tercia decima.

a) Cunradus Præpoſitus Comes de Truchburg & Thann factus Epiſcopus Spirenſis.

b) vid. ſuperius an. 1218.

Hoc An. MCCXXV. Datæ ſunt litteræ ſuper teloneo Neckerſteinacenſi, quod Cunradus de Steinahe et Blickerus ipſius Germanus de Harphemberch inter alia feoda ab Eccleſia Wormatienſi in

in beneficio ab Heinrico ejusdem Eccleſiæ Epiſcopo tenuerunt et à Prædeceſſoribus dictæ Eccleſiæ quietè poſſederunt. Quidquid autem juris in flumine Neckaro ex parte fratrum Schönaugienſium eisdem nobilibus poterat provenire, id ipſi omnino pro animarum ſuarum ſalute dictis fratribus relaxarunt; eos ab omni exactionis onere tam in adducendis quam deducendis ibidem eximendo. Cum autem id præter Epiſcopi ſupra dicti conniventiam, ſtabilitatis robur et vigorem minimè obtineret, is portionem ejusdem thelonei ſibi de præfatis fratribus proventuram monaſterio in Schonaugia duxit porrigendam pro libra ceræ annuatim in feſto BB. Petri et Pauli Cameræ Wormatienſi præſentanda; conſervata ſibi in omnibus integraliter libertate præhabita. p. 142.

Anno eodem recitantur litteræ à Wormatienſi Epiſcopo communi ſententia obtentæ, quarum vigore Hedwigi viduæ de Kircheim ad dies vitæ permiſſum eſt, omnibus ſeptimanis ſemel id eſt in Sabbato vel ſi dies feſtivus fuerit in eo, proxima feria ſubſequente unum

 plau-

Digitized by Google

plauſtrum lignorum ſecare in ſilvâ que vocatur Hegenehe. p. 144.

VI.

Super prato Welfridi de Tuſſenheim. a)
(1226.)

Ebelinus Decanus major Wormat. *b)* Burchardus Cantor Nove domus *c)* in Wormatia *d)* judices a Domino legato delegati, omnibus hoc ſcriptum intuentibus declaramus qualiter ordine judiciario et ſententia dictante coram nobis probatum eſt et ſententiatum ſuper cauſa que vertebatur inter conventum Schonaugienſem ex parte una et Marquardum militem de Tuſſenheim ex altera ſuper prato quod dicitur Welfridi, quod ſitum eſt in Marchia Suuetzingen, quod idem Conventus perpetuo poſſidebit proprietatis jure ſibi adjudicata et hoc addito, quod memoratus Conventus dedit jam dicto militi unum talentum Hallenſium in reſtaurum expenſarum propter hoc pratum factarum. Ad cautelam ergo utriusque partis hoc preſens ſcriptum eisdem indulſimus ſigillis noſtris communitum. Actum Anno incarnationis Domini M°. ducenteſ°. XX°. ſexto.

a) Doſ-

a) Doſſenheim.

b) Ebelinus Eccleſiæ Cathedralis Wormatienſis Præpoſitus nobis ſœpius occurrit, præſertim in Decreto in Gratiam Capituli S. Andreæ, quod Wormatiæ eſt, Epiſcopali, quod ſuo quoque teſtimonio an. 1224. roboravit. Idemque Præpoſitus ſenſit eadem, quæ Nibelungus Aedis ſummæ Præpoſitus an. 1231. in favorem Capituli S. Pauli conſtituit.

c) Neuhauſen.

d) Collegiata hæc Civitati Wormatienſi proxima intra eandem reputabatur, & inter reliquas Eccleſias Collegiatas primaria fuit.

Eodem anno Ludovicus Palatinus Comes Reni et Dux Bavariæ Cœnobii Schönaugienſis fautor et protector eximius ſœpè nominatus nullam non eidem benefaciendi occaſionem arripuit. Quocirca ſpeciali ſcripto omni voluit innoteſcere poſteritati, quod Hartwicus de Hirzesberg et frater ejus Heinricus, quidquid habuerant juris in Advocatia ſuper bonis Eccleſiæ Schonaugienſis in Virnheim *) ſitis, in manus ſuas tam voluntarie, quam plenarie reſignarint, omni ſuper eisdem poſſeſſionibus uſurpationi in perpetuum renunciantes. Dux verò nichilominus idem jus Eccleſiæ memoratæ in manus Bertoldi Abbatis Schon-

Schonaugienſis conceſſione liberrima relaxans, eandem Eccleſiam, quoad bona prælibata à quolibet Advocatiæ debito ſeu exactionis. incommodo immunem perpetuo decrevit ac indempnem. p. 146.

*) De hoc Oppido jurisdictioni Archipræſulis Moguntini ſubjecto quædam ſuperiùs allata ſunt ad an. 1165. 1168. 1222. &c.

VII.

Contractus inter Schonaugienſes & Bintrieme militem de Alceja ſuper bonis in Scharra. (1227.)

Wormatienſis conſules Civitatis. Cunctorum Xpi fidelium, ad quorum intuitum vel audientiam hec preſens pagina fuerit delata noticie duximus declarandum, quod Dominus Bintrieme miles de Alceja et Conventus Schonaugienſis cenobii inter ſe emptionis contractum fecerunt ſuper bonis ejusdem militis in locis que dicuntur in der Owe et in den Scutzen ſitis in Marchia videlicet Scharrenſi interpoſito tali pacto, ut quamdiu dictus miles habuerit eadem bona, Schonaugienſes ex conceſſione atque Warandia ipſius ſine contradictione vel moleſtia quolibet modo ab eo il-

lata

lata eis libere perfruantur et in feſto beati Martini ſingulis annis eidem militi ſolvant duo talente Wormatienſium denariorum et inſuper duos caſeos clauſtrales libere ac gratanter. Noverint preterea omnes memoratam conventionem ab utraque parte tam firmis promiſſionum cautionibus eſſe firmatam, quod a neutra eorum debeat ei contrairi vel modo quolibet irritari. Ut autem tam rationabile et ſollempne factum inconcuſſum in ſuo robore poſſit ſtabile permanere, pro cautela ex utriusque partis aſſenſu merito ſcriptum preſens communitatis noſtre ſigillo decrevimus roborare. Actum anno Domini M°. CC°. XX. VII°.

Eodem anno Dietericus *a*) et Sigewardus *b*) mediante Ludovico Duce prædia ſua in Sunthoven *c*) Cœnobio Schönaugienſi vendidere confecto deſuper contractu ſolemni.

a) Diethericus de Opphauwe ut probaret prædicta prædia ab omni ſemper exactione uſque in præſens liberrima nichil alicui ſolviſſe, præter Decimam, acceſſit Geroldesheim in die Kuntſchafft (teſtimonia ibidem ſui aſſerti legitima obtenturus. Hæc bona demum Wormatiæ in manus Ludovici Ducis reſignavit, qui ipſa

Digitized by Google

ipſa in manus Schönaugienſium, ſalva priſtina libertate, aſſignavit.

b) Sigewardus circa prædia ſua in Sunthoven eodem modo proceſſit, cum prius veniſſet Scharram in die Kuntſchafft.

c) Sandhofen in vicinia habet Virnheim, Käferthal, Feidenheim, Lampertheim, Birſtat &c.

Sigewardus ſub ea conditione bona ſua Schonaugienſi Cœnobio vendendo tradidit, ut ipſi et Adelheidi conjugi de his bonis, quoad usque ambo vixerint, X maldra ſiliginis miniſtrentur. Una vel altera prædictarum perſonarum decedente, media pars annonæ Schönaugienſibus remaneat et ſuperſtiti usque ad finem vitæ ſuæ pars reliqua perſolvatur. Poſt amborum mortem totalis ſumma frumenti in uſus dictorum Clauſtralium convertatur. Sigewardus porro ex præfatis bonis duo jugera terrarum filiæ ſuæ moniali in Franckendal profeſſæ aſſignavit. p. 147. etc.

An. MCCXXVIII. Pridie Kal. Maji. (30. Apr.) Odilia Hartmanni de Beſensheim (Bensheim) filia Hartmanni Ruchelini relicta habito conſenſu filiorum ſuorum unanimi omnia bona ſua in parochia Scharra vendidit Fratribus Schönaugien-

augienſibus pro LX marcis. Contractus iſte celebratus eſt in villa Urbach (Auerbach infra Bensheim). p. 154. Confer. an. 1224.

Eodem anno Conradus de Steinach Præpoſitus Spirenſis omnibus intimat, quod patruelis ſuus Cunradus de Steinach bona quædam ſita in Scharren, quæ ratione feodi de Heroldo et Hartliebo de Lutenbach ſine liberis decedentibus ad ſe et ad pueros fratris ſui Blickeri de Harphenberc, quorum idem Cunradus procurationem gerebat, legitime fuerant devoluta, communicata manu filiorum et filiarum ſuarum et relictæ fratris ſui defuncti atque puerorum ſuorum, pro quadam pecuniæ ſumma Schönaugienſi monaſterio vendidit liberè et ſolutè; et ut memorati monaſterii fratres magis forent in bonorum hujusmodi emptione ſecuri, idem Cunradus et pueri ſui, prædicta quoque vidua et pueri illius, ante portam monaſterii ſupradicti eisdem bonis communiter abrenunciantes poteſtati fratrum ea libere tradiderunt. p. 158.

Anno. MCCXXVIII. adhuc Otto Comes Palatinus Reni diſtinctionem terminorum

norum *a*) in Locheim et Waldorf confirmat. p. 159. Is quoque tunc recenſens liberalitatem prædeceſſorum in Schonaugienſes, Conradi *b*) nempè, Henrici Saxonis *c*), Henrici filii *d*), Ludovici *e*) Comitum Reni Palatinorum, non minori gratia et favore eos proſequitur fratres et omnia ſua jura usque huc habita eidem Clauſtro pro viribus intendit ſalvare, præcipuè jus tam rationabiliter obtentæ hactenus libertatis poſſeſſionum ſuarum in Scharra illi perpetuò ſalvum fore decernit et quictum. Cœterùm ejusdem ſcripti tenore notum facit, quod, cum aliquando inter Grangiam Schonaugienſem in Scharra et inter cemiterium eccleſiæ ibidem publica ſtrata tranſiret; Fratres Schonaugienſes de benivolo Patris Ludovici Ducis aſſenſu ab hominibus in Scharra obtinuerunt, ut ſtrata ipſa ad meridionale cimiterii latus deducta, ſepta Grangiæ *f*) ipſi cimiterio in perpetuum jungantur immediate. In cujus rei memoriam fratres ejusdem Grangiæ ipſum cimiterium circumſepient tantummodo una vice. p. 161.

a) Anleitte dicitur.

b) Vid. an. 1165. 1184. 1191. 1196.

c) Vid.

c) Vid. an. 1196. 1211.

d) Vid. an. 1213.

e) Vid. an. 1214. 1216. 1220. 1225. 1226. 1228.

f) Prædium ruſticum. *Grangiarius* qui eidem præeſt.

An. MCCXXIX. Heinricus VII. Rom. Rex Grangiam in Scharra jure Advocatiæ abſolutam Monaſterio Schönaugienſi confirmat. p. 164.

Eodem anno Otto Palatinus Comes Reni litteris patefacit, Heinricum Vogelin Burgenſem Heidelbergenſem et uxorem ejus nomine Kunegundim quæcunque poſſederunt in rebus quibuslibet mobilibus ac immobilibus deliberatione unanimi ſollempniter contradidiſſe Schönaugienſi Eccleſiæ, reſervato ſibi uſufructu, quoad vixerint. Hoc tamen adjecto, quodſi alter eorum deceſſerit, ſupervivens ſive denuo contrahere ſive ſic manere elegerit, nichil omnino de rebus tunc habitis in alteram perſonam conferre, aut quoquo modo diſtrahere præter aſſenſum Schonaugienſium, ei licebit. Hæc quoque rata habuit ſupradictus Otto Comes. Fratres Schönaugienſes Conjugum præfatorum devotio-

Digitized by Google

ni tam liberali gratæ viciſſitudinis concurrentes affectu in area Clauſtri ſita in Heidelberg domum ædificantes, eandem prædictis Burgenſibus inhabitandam ad dies vitæ conceſſerunt. Inſuper in plenaria confraternitate receptis, indulſerunt eccleſiaſticam penes ſe ſepulturam. Quæ omnia in ſeparatis litteris repetière Volpertus Scultetus et Burgenſes univerſi in Heidelberg. p. 167. 170.

Eodem anno cum Heinricus Eccleſiæ Wormatienſis Epiſcopus in litteris omnia recitaſſet, quæ circa navalem transitum Nicri fluminis apud Heidelbergam pertractata ſunt an. 1218. addit denique, quod Lutphridus memorati Lutphridi filius, cum ad intelligibilem perveniſſet ætatem, quietam tanti temporis poſſeſſionem Schonaugienſium ſuper paſſagio turbare tentaverit, aſſerens, quod prædium illud in Rorbach, loco paſſagii reſignatum, cum dotalitium, quod dicitur Morgengabe, matris ſuæ fuerit, pater ejus in feodum redigere vel quolibet modo alienare, absque ſuo aſſenſu, nec debuerit, planè nec potuerit. Denique tum per ſupra ſatum

ſatum Epiſcopum, tum per Patrem ſuum, qui Schönaugienſibus Warandiam præſtare tenebatur, inſtructus pariter et inductus, prælibatum Patris contractum eatenus ratum habuit, ut omni ſuper eo impeticioni publice renuntiando, prædium ſœpedictum in Rorbach ipſe manu propria reſignaret Eccleſiæ S. Andreæ, illud in beneficio feodali recipiens ab eadem. Sorores et ſororii ſimiliter renunciarunt. p. 168.

An. MCCXXX. Villani in Scharra et Gerolvesheim Fratres Schönaugienſes impetebant ſuper quadam Augia, agnoſcentes autem Owam ſuis poſſeſſionibus jure proprietatis libere attinere, dicti villani ceperunt aſſerere, ligna nichilominus ad ſuam Almeinam ſpectare, eaque ſuis uſibus vendicare. Otto Palatinus Comes, ut lis iſta terminaretur, juſſit partes et vicinos pariter convocari. Acceſſerunt igitur ad notitiam id eſt Kuntſchafft; ubi circumceſſores de tribus villis videlicet de Sunthoven, de Virnheim et de Keverndal, requiſiti ſub jurejurando perhibuerunt, quod, quandoquidem fundus Augiæ Schonaugienſibus proprie attineret; quidquid ea-

dem Augia in lignis, in gramine ſeu aliis rebus produceret, ſolis cedere Schonaugienſibus pari jure deberet. Id quod Otto Palatinus confirmavit. p. 172.

An. MCCXXXI. Diſcordia, quæ inter Schönaugienſem Eccleſiam et homines de Schriesheim occaſione ſylvæ juxta clauſtrum ſuborta fuit amicabili compoſitione ſic ſopita, quod homines ipſi, acceptis ab Eccleſia XXV. libris Hallenſium fideliter promiſerunt, nullam læſionem aut moleſtiam in ipſa ſylva de cœtero ſe memoratæ eccleſiæ illaturos; ſed eo jure erunt contenti, quod de ipſa omnibus hominibus de Bergſtrazia, qui ſuper ipſa ſilva litem gerunt cum eccleſia, per generalem judicis ſententiam dictante juſtitia fuerit definitum. Si vero ſuper his contra formam prædictam ipſi homines eandem eccleſiam non foverint, ſed aliquam eis fraudem vel injuriam inferre præſumpſerint, Domino Wormatienſi Epiſcopo pro pœna fractæ pacis et violatæ concordiæ XXX libras Wormatienſes aſſignabunt. p. 174.

Eodem anno Cunradus de Hirtzberg dictus Stalenbergere quatuor jugera vinearum ſita in terminis villæ Schriesheim

heim Schönaugienſi Eccleſiæ tradita cum aliis bonis ibidem dictæ Eccleſiae collatis pro aſſignatis IX marcis Coloniens. A jure advocati libera et ſoluta fecit. p. 176.

Pridie nonas Octobris (6. Oct.) ejusdem anni Diethmarus dictus theloneařius civis Spirenſis pia ductus intentione, conſenſu et voluntate Beringeri Spirenſis Epiſcopi accedente immunes reddit Schonaugienſes à ſolutione nauli in Ketſch. Litteræ deſuper confectæ ſigillis Epiſcopi, Majoris Eccleſiæ et Civium Spirenſium ſunt munitæ. p. 78.

VIII.

Schönaugienſes ab advocato ſuo Heidelbergenſi obtinent IIII. manſos in Virnheim &c.

Frater B. *a*) dictus abbas Schonaugie noſſe cupimus univerſos preſentis pagine inſpectores, quod cum dilectus et ſpecialis noſter in Chriſto S. Advocatus de Heidelberg IIII. manſos à Gotefrido de Virnheim *b*) apud ipſam villam ſitos, qui quondam noſtre eccleſie fuerunt, comparaſſet, pro ſalute ſua noſtre Eccleſie donavit eaſdem hac videlicet racione

cione ut magiſter nove Curie quamdiu advocatus vixerit, excolere debeat ipſos manſos et XX maldra ſilig. duo maldra piſe, Wormac. menſure eidem advocato ſingulis annis debeat aſſignare. Poſt obitum autem ſuum Cellerarius noſter manſos ipſos in ſuam procurationem ſuſcipiet et omnibus annis pro ſalute advocati, unam Carratam c) vini de --- in commemoratione S. Pauli (30. Jun.) conventui miniſtrabit etc.

Teſtes hujus ſunt S. Abbas. H. Prior. A. Cellerarius. W. de Louſſe, et H. Magiſter de Scharren. Acta vero anno Domini M. CC. triceſimo primo.

a) Bertholdus.

b) Virnheim jam occurrit in Charta an. 1165.

c) Carrata. Onus Carri, quantum Carro vehi poteſt. Differt pro diverſitate regionum in quantitate, menſurâ vini, cereviſiæ &c.

IX.

Super Area in Heidelberc.

Otto Dei gratia Palatinus Comes Reni et Dux Bawarie fidelibus ſuis A. Marſcalco in Heidelberg, ſculteto et civibus ibidem graciam ſuam et omne bonum. Recolimus jam dudum contuliſſe

nos

nos dilectis nobis fratribus Schönaugienſibus aream in Angelo *) civitatis ſitam, in qua ſibi ad uſus ſuos commodam conſtruerent manſionem, unde vobis precipimus et mandamus, ut in area memorata non ſinatis eos ab aliquo impediri, habentes eos in omnibus tanquam dilectos noſtros ſingulariter commendatos, quorum commoda vel incommoda velut proprie propria reputamus....

*) Angulo.

Anno MCCXXXII. Bertholdus Abbas de Schonaugia et ejus Conventus conventionem cum viro nobili Joanne de Siberch de allodio ſuo Opphawe et ejus appendiciis ex illa parte Rheni ſitis, inierunt, tribus militibus ibidem exceptis, ita, ut prædictus Abbas et ſui præfato militi Johanni in feſto Purificationis Mariæ proxime venturo CC et LXX libras denariorum Metenſium ſolvent et proinde tres Abbates fidejuſſores et veros redditores Johanni conſtituerunt, videlicet propriam perſonam Abbatis de Schönaugia, una cum Abbatibus de Werniswilre *a*) et de Ottirburch *b*). Dederunt quoque fidejuſſores pro C. libris denariorum Metenſium, qui, ſi Abbas

et Conventus in his Conventionibus deficeret, fidejuſſores apud Lutream venirent, nunquam inde receſſuri, quin C. libras, ſicut præmiſſum eſt, ſolverent. p. 179.

a) Wernerî villarium, vulgo Wernsweiler, Ord. Ciſterc. Cœnobium an. 1107. conditum et è monaſterio Lotharingiæ villario exortum.

b) Ciſtercienſis ordinis Cœnobium non longè à Cœſaris-Lutra Palatinatûs Oppido an. 1145. fundatum, et an. 1576. ſecularizatum.

Tunc quoque Johannes de Siberch uxorem ſuam Methildim cum ſuis pueris Joanne et Arnoldo ſuper præmiſſis libere et abſolute abrenuntiare fecit, denuo affirmans, quod ſuper memorato allodio annum integrum et diem præfatis Dominis Warandiam præſtare teneatur. p. 181.

Anno MCCXXXIV. Otto Comes Palatinus Rheni Dux Bawariæ datis litteris voluit et præcepit, ut Abbas Schonaugienſis et Confratres ſui non ſuſtineant aliquod gravamen vel exactionem in vineis in judicio Rorbach et Bergeheim *), ſed antiqua libertate gaudeant. p. 182.

*) Ad Nicrum, infra Heidelbergam. Interiit.

X.

Digitized by Google

X.

De ſopita controverſia inter plebanum & plebem de Scarra ſuper decima. (1235.)

Univerſis hoc ſcriptum cernentibus N. Dei gratia majoris Eccleſie Wormat. Prepoſitus ſalutem in Xpo Jheſu. Cum ad peticionem B. Cantoris Nuhuſenſis qui jurisdictionem Nuhuſenſis Prepoſiti tunc temporis habebat, cauſam de conſenſu partium terminandam acceperimus, que inter plebanum de Scharren vertitur ex una parte et parrochiales ſuos de Sunthoven ex altera ſuper quibusdam decimis de Almeinda ejusdem ville, quas idem plebanus cum diligentia petebat, tandem ex parte parrochialium probatum fuit, quod dictus plebanus haberet pratum juxta vallum Opſowin ſitum in reſtaurum decime pretaxate. Hoc quidem probato jam dictus plebanus ſuam reçognoſcens injuriam omni actioni, quam habere videbatur, ſuos parrochiales in jam dicta cauſa voluntarie renuntiavit; ne igitur ſuper eodem aliqua contentio poſſit impoſterum ſuboriri, preſentem paginam litterarum ac ſigilli noſtri teſtimonio

 duxi-

Digitized by Google

duximus roborandam. Actum Anno Domini M°. CC°. XXX°. quinto. Indictione VIII.

Eodem anno Otto Dux Schönaugienſi Cœnobio aream quamdam propè litus Neckari infra murum civitatis Heidelberg conſtitutam, ad conſtruenda ſibi receptacula uſibus ſuis apta, liberè et ſolutè donavit concedens eis ab omni exactione et precaria et à nocturnis vigiliarum cuſtodiis, aliisque extorſionum obſequiis plenariam libertatem; indulgens etiam eis inducendi et evehendi res ſuas absque omni gravamine thelonei et ut emant ac vendant res ſuas ſine theloneo. p. 183.

An. MCCXXXVI. Abbas et Conventus Schonaugienſis à Gerhardo Edelwino dicto Vinazzen emerunt molendinum ſitum in Oppenheim *a*), quod eſt proximum Eccleſiæ ibidem, in ripa fluminis, quod dicitur Iſen *b*), cum omnibus ſuis pertinentiis jure proprietatis perpetuo poſſidendum, ſicut ipſe venditor poſſidebat et nulla fabrica ſive ſurſum ſive deorſum opus dicti molendini impedire debet, nec decurſum fluminis indebite augmentare vel minuere, ne ipſum molen-

lendinum ex hoc, humana operatione, deterius fieri contingat. Omnibus his ritè peractis Landolfus Wormatienſis Epiſcopus ſigillum addidit cum Capitulis Majori et S. Andreæ..... p. 185.

a) Wiesoppenheim apud Horchheim.

b) Iſena. Eisbach perfluens civitatem Wormatienſem. Cujus rivi aquam, ripam et alveum Burchardus I. Epiſcopus Wormat. dedit in poteſtatem Canonicorum S. Pauli. ibidem.

Anno eodem Otto Comes Palatinus Reni et Dux Bawariæ litteris duxit inſinuandum, ſe tam de veridicorum quorundam relationibus modernorum, quàm de certiſſimis privilegiorum aſſertionibus cognoviſſe, beatæ memoriæ prædeceſſorem ſuum illuſtrem Comitem Reni Cunradum allodium ſuum in Opphawe cum omnibus ſuis appendiciis Schönaugienſi monaſterio et fratribus ibidem Domino famulantibus pro ſua et Conſortis ſuæ ſalute communi voto et pari utriusque conſenſu tradidiſſe. Hanc donationem pie et liberaliter factam poſtmodum Palatinus Henricus gener ipſius, de pio etiam conjugis ſuæ conſenſu ratam habuit, eamque privilegii ſui munimine roboravit. Quædam horum

horum bonorum attinentia, quæ vulgo Gedeilda dicitur, ad cujusdam militis Johannis de Sygelsberch appellati, ceſſit proprietatem. Verum dicti Cœnobii fratres attinentiam poſſeſſionum hujusmodi apud eundem Johannem emptione legitima comparaverunt. Sicque ſanè factum eſt, ut univerſalis hujus allodii amplitudo tam in pratis, paſcuis et Rith; quam in judicio et hominibus, ſolis Militibus excluſis, liberè et ſine omni contradictione ſeu violentiæ infeſtatione in plenariam poteſtatem prædicti Conventus veniret. Manſi XXXIII. inter Sunthoven et Dornheim *a*) in arena concludunt. His adjacent quædam poſſeſſiones de Reine uſque ad Renum Vergentes inter Sunthovermarcam et Dornheimermarcam finiendo. Has poſſeſſiones Communio hominum in Keverndal *b*) in animalium ſuorum paſtum neceſſarias ſingulis annis, prout in eisdem Dominis invenire poſſent, cenſualiter obtinebant. Cum verò integritas allodii ejusdem, cum poſſeſſionibus ipſis ad ſœpedicti Cœnobii jus et dominium emptionis titulo deveniſſet, Fratres ibidem hominibus antedictis poſſeſ-

ſiones

ſiones hujusmodi, quas ſibi ipſis neceſſarias judicabant, pro cenſu annuo concedere renuebant. Hominibus autem in contrarium nitentibus et non modicam in eisdem bonis violentiam exercentibus, tandem compoſitionis forma admiſſa eſt, videlicet, ut paſcua ſupra dicta lapidibus, qui Marchſtein dicuntur, diſtinguerentur et totum illud ſpatium, quod in lapidibus et foſſato verſus Dornheim ducit, ipſorum hominum relinqueretur uſibus occupandum pro X. ſolidis annuatim perſolvèndis; reliquum verò ſpatium Schönaugienſi cederet Eccleſiæ.... p. 186.

a) Villa penitus deleta.

b) Vicinas habet villas Virnheim, Walſtat, Feidenheim &c.

Anno MCCXXXVII. Diſcordia ſuper quatuor manſis in Virnheim inter Conventum Schönaugienſem et Johannem filium Mie de Hepphenheim huc usque verſa à Sifrido Archiep. Mog. et Eberhardo de Starckenberg datis à Conventu Johanni IV. libris Hallenſium, transactione finita eſt. p. 190.

Anno MCCXXXVIII. Erimfridus dictus Zapfe Cœnobio in Schönaugia con-

contulit molendinum, curiam, duo jugera et dimidium vineti in Hentſchusheim et VI. jugera agrorum ſita in Nuenheim. p. 191.

XI.

Inter Engelmannum et fratres de Scarra ſuper quodam cenſu.
(1238.)

N. *) Dei gratia Prepoſitus Wormat. notum fieri cupimus univerſis preſentis ſcripti inſpectoribus, quod conſtitutis coram nobis cum judicio venerabilis Domini noſtri Wormatienſis Epiſcopi tunc in Ytalia cum Domino Imperatore exiſtentis preſideremus, Cantore noſtro et filio fratris ſui Engelmanno ex una parte, Magiſtro de Scharren cum ſuis confratribus ex altera, Cantor cum dicto E. contra Clauſtrum Schonaugienſe fratresque de Scharren propoſuit, quod bona illa que frater ſuus Bintriemus cognomine a Theoderico de Huſen in feodo tenebat et filii ſui à filiis Th. adhuc tenent, dictus B. clauſtro et fratribus antedictis pro cenſu annuali conceſſiſſet, ſuper quo ſub ea forma, qua dictum eſt, clauſtrum memoratum haberet

beret litteram ſigillo Civitatis Wormatienſis communitam, et ſic eos debere cenſus nominatos pueris prenotatis, pars verò adverſa omnia ſecundum ordinem ſic fore geſta retulit, adiciens, quod ſepe dicti Th. de Huſen filii precepiſſent, ne curia in Scharren pueris ſepedictis cenſus traderent prelibatos. Poſt hec cum diu ſuper predictis hinc inde litigaretur, ſententiatum fuit, quod clauſtrum et curia in cenſibus jam dictis tamdiu filiis B. premortui teneretur, quo uſque ipſi a pueris de Huſen ſententialiter evincerentur et quod ipſi clauſtro a fratribus preſatis ſuper bonis memoratis preſtare Warandiam tenerentur. Teſtes qui huic facto interfuerunt, ſunt Scolaſticus Wormatienſis, ſancti Pauli, ſancti Andree, et ſancti Martini Decani. Gerhardus Camerarius. Chrudſaccus et Ruggerus de Moneta milites. Henricus Amella, ſigelo Eigelmari et Waltherus filius Edelwini burgenſes. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. XXX°. VIII°. feria III. poſt Martini. (16. Nov.)

*) Nibelungus.

An.

An. MCCXXXIX. Hildegundis relicta Marcolfi Civis Heidelbergenſis molendinum ſuum propè murum dictæ civitatis ſuper alveum Neckari ſitum Eccleſiæ Schonaugienſi cum quibusdam fundis eidem molendino contiguís hœreditario jure donavit, ita tamen ut donatrici, quamdiu vixerit, de ipſo molendino XX octalia ſiliginis X octalia ſpelzenkernen, maldrum ſalis, octale piſe et octale lentis nec non poras unus libram hallens. valens ſingulis annis aſſignentur et Eccleſiæ S. Spiritus ad lumen perpetuum ſufficiens oleum miniſtretur. p. 192.

Anno MCCXL. Nobiles de Schauenburg abrenuntiant juri advocatitio bonorum Cœnobii Schonaugienſis apud Hendſchuchsheim. p. 194.

Anno eodem Conradus dictus de Stralenberg eximit à jure Advocatiæ univerſa bona, quæ Schonaugienſe Cœnobium in terminis villæ Schriesheim quocunque titulo usque ad hunc annum poſſedit.... p. 195.

XII.

XII.

De octo ſolidis denariorum Spirenſium. (1241.)

Ego Petriſſa humilis converſa *a*) Spirenſis ſicut per oblacionem *b*) perſone, ita per rerum collationem Domino Deo vovere deſiderans et cum effectu reddere ſub tenore preſentium profiteor publice, quod ego in anime mee remedium domum meam ſitam juxta ingreſſum platee judeorum Spirenſium lego et confero liberaliter ad unam quatuor prebendarum, que nunc dicuntur prebende ad Sanctum Martinum, quam videlicet prebendam in preſenti poſſidet Sifridus dictus Panto vice Cuſtos Chori Spirenſis Eccleſie, ſic ut dicta domus poſt obitum meum perpetuo ſit annexa prebende memorate, et dictus Sifridus nec non omnes ſucceſſores ipſius legittimi ad eandem prebendam ſicut rationabiliter optinent prebendam, ita quieti domus immediati fiant poſſeſſores. Ad hec caute et ſpecialiter adjungo, quod prefatus Sifridus, quoad vixerit, eamdem domum debet poſſidere, non obſtante, ſi ipſum in Eccleſia Spirenſi vel alia beneficium aliud per Dei gratiam

F con-

contingat adipiſci, quia hoc ſibi ſoli volo fieri de gratia ſpeciali. Inſuper de ſpeciali proviſione ſtatuo et firmiter obſervari volo, ut dicte domus poſſeſſor ſi nec velit nec valeat ipſam inhabitare, nulli niſi Clerico Choro Spirenſi deſervienti vel alii Clerico ſive perſone religioſe ad inhabitandum ipſam concedat. Ceterum adicio, cum prefate domus area ſit cenſualis in duobus ſolidis Spirenſ. denariorum, portario Spirenſis Eccleſie, ut quicumque domum eandem poſſideat, cenſum tempore debito perſolvat prenotatum, qui etiam utrum domus eadem ſubſiſtat vel aliquo modo deleta fuerit, ceram comparatam pro VIII. ſolidis Spirenſ. novorum et legalium in die anniverſarii mei ſolvere tenetur cuſtodi Monaſterii Sconaugienſis Ciſterc. ordin. Wormat. dyoc. quicunque pro tempore fuerit perpetuo et Magiſtro Curie in Spira dicti Monaſterii ipſo die preſentare vel poſt ſequenti die cum adjecta pena unius libre cere. Hoc autem profiteor ſub teſtimonio Capituli Spirenſis et Conventus Sconaugienſis, quorum ſigilla preſenti cedule ſunt appenſa. Actum anno Domini M°. CC°. XL°.

Digitized by Google

XL°. primo, tertio Kal. Marcii. (27. Febr.)

1) In monaſteriis dicuntur laici Monachi, laicis exercitiis et Monachorum obſequiis addicti. Sic autem appellati, quod primitus viri laici pietatis ſeu etiam quærendi victus gratia monaſterio ſe totos darent, offerrent & addicerent operam ſuam locantes ad dies vitæ. Sic quoque ſentias de Sororibus converſis.

b) Oblati monaſteriorum, qui ſe & ſua vel majorem partem bonorum ſuorum ſine fraude ac dolo monaſteriis ipſis ſponte ac libere obtulerunt.

Anno MCCXLII. Conradus de Kircheim Conjugis ſuæ Adelheidis, filii et filiæ communi accedente conſenſu Decimam ſuam apud Bruchuſen et Bliggersforſt fratribus de Schönaugia vendidit pro C. libris Hallenſium, in manus Ulrici Abbatis easdem decimas reſignando et poſtmodum in præſentia civium de Heidelberg venditionem eamdem expreſſius confirmando et iterato in manus Abbatis reſignando. p. 197.

Anno MCCXLV. Landolfus Eccleſiæ Wormatienſis Epiſcopus litteris in die Converſionis S. Pauli datis patefacit, quod nobilis vir Fridericus de Bonvelt renuntiaverit omni actioni, quam

 habere

habere ſe dixerat contra Eccleſiam Schönaugienſem ſuper vado ſive navigio prope Heidelberg ex parte ſui et omnium ſuorum hœredum, promittens fideliter bona fide, quod fratrem ſuum Marquardum ad idem faciendum, omni contradictione remota, inducet. Quia verò prædictus nobilis Fridericus publicè profeſſus eſt, nihil ſe vel fratrem ſuum ſive ipſorum hœredes juris vel habuiſſe vel habere in navigio antedicto, litteras Epiſcopus ſui ſigilli impreſſione fecit communire. p. 198.

Eodem anno Fratres ambo de Bonvelt Fridericus et Marquardus in præſentia Cunradi Advocati Wimpinenſis et civium ejusdem civitatis, ubi ſedes judicii Cæſarei provincialis per Franconiam erat (Kayſerl. Landgericht) omni juri, quod fortaſſis adhuc in navigio ſupraſato habere videbantur, renuntiarunt.... p. 201.

XIII.

Super navigio in Heidelberc.

Rudolfus Advocatus Wimpine. Indicio carte preſentis cunctis innoteſcat, quod Dominus Fridericus et ejus frater viri

Digitized by Google

viri nobiles de Bonvelt omni juri et actioni quam ſe habere dicebant et que ipſis et ipſorum heredibus competere poſſent in navigio apud Heidelberg quod vulgariter varunge per Neckarum appellatur, ſuper quo iidem nobiles Abbatem et Conventum de Schonaugia multociens impetebant, ex tractatu habito inter ipſos coram juris providis et coram nobis amicabiliter et preciſe renunciarunt taliter ut neque per ipſos neque per ipſorum heredes poſſint deinceps in eodem aliquatenus de jure moleſtari, quod ut ratum permaneat, cartam preſentem predicto conventui aſſignavimus noſtro ſigillo roboratam. Anno Domini M°. CC°. XL°. quinto. Menſe Aprili. Indictionis tercie.

In menſe Majo ejusdem anni Cunradus filius Volcwini in Heidelberg deſiderio vitæ aſceticæ flagrans in contubernium Schönaugienſe petit admitti, qui ſe et omnia bona ſua addicit monaſterio, etiam in caſum, quo eum anno probationis mori contingeret. p. 199.

XIV.

Simon de Schowenburg vineas Schonaugienſium &c. in Doſſenheim declarat liberas.

Ego Simon dictus de Schowenburg tenore preſentium cunctis hoc ſcriptum viſuris profiteor ac proteſtor, quod de vineis in Doſſinheim ad jus fratrum Schonaugienſium et hoſpitale ipſorum ſpectantibus, quas partim a me et meis progenitoribus, partim aliorum largitione fidelium ſunt adepti, nunquam aliquid exactionis vel precarie paſſi ſunt ipſi fratres nec in racione decimationis nunquam gravati fuerint, ſed jure libertatis gaudere debent, ſicut hactenus ſunt gaviſi. Quicunque autem contra libertatem premiſſam aliquid hoſpitali predicto in vineis vel rebus aliis violentie ſive dampni irrogare preſumpſerit in prejudicium anime ſue ſe noverit hoc feciſſe, ſciatque ſe omnipotentis Dei indignationem et noſtram, ſi non emendaverit, incurſurum.

Anno MCCXLVI. Scultetus, Scabini et univerſi cives in Heidelberg ſcripto teſtantur, Abbatem et Conventum Eccleſiæ Schönaugienſis decimam bonorum

rum de Alſtat *), quam Conradus Fuhſelinus cognomine et Hermannus ſtatres apud Bruchhuſen et Locheim habebant, pro certa pecuniæ ſumma ab eisdem fratribus comparaſſe, quam decimam in manus Rudolfi Abbatis perpetuo reſignarint. p. 202.

*) Villula propè Bruchhauſen non amplius exſtat.

Eodem anno Abbas modò dictus et totus conventus Schonaugienſis ex una parte et Wernherus Militellus civis Wormatienſis in hoc concorditer et amicabiliter conſenſerunt, quod ſtillicidium domus Curiæ Schönaugienſis in Wormatia ſitæ, in hortum dicti Wernheri ſibi contiguum, perpetuo jure cadet. Ipſo horto ab eadem parte ſumptibus Eccleſiæ Schönaug. pacificato in perpetuum ac firmato, p. 203.

An. MCCXLVII. Landolphus Antiſtes Wormatienſis de conſilio prudentum renuntiat omni actioni, quam viſus eſt habere ad inſulam propè Scharren. p. 204.

Menſe Octobri hujus Anni Otto Dux omnes proventus et Cunctam ſubſtantiam atque res, quæ ad Fratrum Schönaugienſium neceſſitatem, ſubſidium at-

que uſum, tam clauſtri videlicet, quàm etiam curiarum per Neckari ſive Reni alveos deorſum vel ſurſum navigio deducuntur, ab omni exactionis et thelonei jure et onere exemit, concedens eis per omnes terminos ſuos tranſitum et ingreſſum. p. 206.

An. MCCXLVIII. Conſtitutis in judicio Wormatienſi Abbate et fratribus Schönaugienſibus ex parte una et Præpoſito de Hagene et fratribus ſuis ex altera, de et ſuper ducentis agris, qui dicuntur juchart. ſuper VI. jurnalibus agri et duobus pratis, quæ dicuntur *Howe* contendentibus. Cum diſputatio ipſa in diverſa ſe et varia transfunderet, Præpoſitus memoratus detulit juramentum Abbati præfato, qui Abbas juramento præſtito, ſupradicta bona eccleſiæ ſuæ obtinuit legitime et juris ordine per omnia conſervato. Hæc facta ſunt in Clauſtro S. Petri. Die S. Jeronimi. p. 206.

An. MCCL. Nobiles de Stralenberg acceptis à Fratribus de Schonaugia duobus talentis et dimidio quasdam eorum vineas à jure precariæ et ab aliis juribus libera dimittunt et ſoluta. p. 207.

An.

Digitized by Google

An. MCCLI. Jacobus civis Wormatienſis religionis amplexandæ cauſa Schonaugiam ſeceſſurus diſponit inter liberos facta ſubſtitutione pupillari. p. 209.

Eodem anno Giſelbertus Dapifer junior et Heinricus frater ejus Eccleſiæ Schonaugienſi, quidquid juris in molendino apud Bergeheim *) habuerunt, contulêre ipſi, eandem Eccleſiam ſuper eo Dominam conſtituentes. p. 211.

*) Villa ad Nicrum horæ quadrante infra Heidelbergam ſita.

In die beati Gregorii (12. Mart.) anni MCCLII. Otto Comes Palatinus Reni, Dux Bawariæ, Agnes uxor ipſius et Ludewicus filius eorum Eccleſiam Scharren, cujus præſentatio ad eos pertinere dinoſcebatur, cum omni, quod in ea habuêre, Schönaugienſi Eccleſiæ abſolutè dederunt perpetuò deſerviendam, volentes, ut per ejusdem Eccleſiæ proventus fratres ibidem Deo famulantes honeſtius ac habundantius poſſint et debeant ſuſtentari. p. 212.

Circa idem tempus Heinricus et Conradus Nobiles de Stralinberg fratribus de Schonaugia in Curia Schriesheim

 Com-

Commorantibus hanc donavere libertatem, ut cum propria familia ſua tempore autumnali aliisque temporibus vinum ſuum pro voluntate ſua et placito inducant et educant, portent et deportent, ſicut eis viſum fuerit expedire. Vectores, qui Schrotere vocantur, à memoratis fratribus nihil extorqueant vel ſe intromittant de vectura vel portatione vini eorum, quia à tali agravamine exempti permaneant. p. 213.

An. MCCLIII. Otto Dux litteris Monaci XVII. Kal. Februarii datis monaſterii Schonaugienſis molendinum in Heidelberg cum domo adjacente et horto ab omni precariæ et exactionis jure declaravit immune, hoc tamen adjecto, ut perſonæ ſpiritales dictam domum inhabitent. p. 213.

Idem Otto hanc exemptionem extendit XIIII. Kal. Febr. ad eorum curiam, quæ dicitur curia Vogelini. p. 214.

XV.

Confirmatio Richardi Wormat. Epiſcopi ſuper Eccleſia in Scarra. (1253.)

Richardus Dei gratia Wormatienſis Epiſcopus cunctis Xpi fidelibus hanc pagi-

paginam inſpecturis ſalutem in omnium ſalvatore. Tenore preſentium conſtare cupimus univerſis, quod donationem quam O. Dux illuſtris Bawarie et Agnes Duciſſa nec non Ludewicus filius ipſorum Schonaugienſi Cenobio fecerunt Ciſterc. ord. Worm. dyoc. jus patronatus Eccleſie in Scharren noſtre dyoc. cum omni jure, quod in ipſa tenebant Eccleſia, ut fratres dicti Cenobii ex proventibus ejusdem Eccleſie commodius valeant ſuſtentari abſolute et liberaliter impendentes, ratam habemus et gratam, eam auctoritate ſcripti preſentis in nomine Domini confirmantes. Nulli ergo hominum eidem donationi et noſtre confirmationi liceat auſu temerario contraire, quod qui preſumpſerit, Omnipotentis Dei ſe indignationem noverit incurſurum. Datum Wormatie Anno Domini M°. CC°. quinquageſimo tercio. menſe Aprili. Pontificatus noſtri anno primo.

Menſe Majo hujus anni Dermudis Helferici de Hoheneck relicta coram Richardo Wormatienſi Epiſcopo donationem bonorum Monaſterio Schönaugienſi in Abenheim *) factam innovat.

*) Haud

Digitized by Google

*) Haud procul ab Herlesheim, hodie Hernsheim.

Menſe Novembri Waſmudus civis in Lautenburg et Werndrudis uxor communi manu et pari voto in publico placito, quod Gedinge vocatur, curiam in Lautemburg, cujus area dudum fuerat Schönaugienſis cœnobii, reſignaverunt. p. 217.

Menſe eodem Henricus Wackerphil et Algardis uxor ipſius in communi placito curiam ſuam ſitam in Lautemburg prope curiam Hartliebi Rittersbein communi manu reſignaverunt cum vinea prope S. Martini Eccleſiam, rogantes Herbordum Scultetum ibidem et Scabinos, ut ipſam curiam, de qua unus denarius Wormatienſis et vineam, de qua etiam denarius Wormat: ad cenſum redditur annuatim, Schönaugienſi Abbati porrigeret. Hoc factum eſt tali conditione, quod de ipſo cœnobio annuatim procurabitur perpetuum lumen de oleo per ſpatium noctis tantum in Capella S. Katherinæ in Lautemburg accendendum. . . p. 218.

Anno MCCLIV. Heinricus et Conradus nobiles dicti de Stralenberg ob peti-

petitionem et favorem ſororis Liebe permiſerunt, ut vineam ſuam apud Schriesheim et III. jugera agrorum in campis ejusdem villæ ſitorum poſt mortem cœnobio Schönaugienſi relinqueret. p. 219.

Tertio idus Maji (13. Maji.) hujus anni Iſenbardus et Guta innovarunt donationem bonorum ſuorum Ladenburgenſium Schönaugienſibus factam. 220.

XVI.

Innocentins IV. PP. confirmat donationem juris patronatus &c. in Scharren Schonaugienſibus factam.
(1253.)

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filys Abbati et conventui monaſterii Schonaug. ciſt. Ord. Worm. Dyóc. ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Juſtis petencium deſiderys dignum eſt, nos facilem prebere conſenſum et vota que a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Cum igitur, ſicut nobis veſtra exhibita petitio continebat, quondam Otto Comes Palatinus Reni

et

et Dux Bawarie nobilis mulier Agnes uxor ejus et Ludewicus natus ipſorum jus patronatus, quod in Eccleſia de Scharren Worm. Dyoc. optinebant, vobis duxerint liberalitate pia et provida conferendum ac Venerabilis frater noſter Richardus Wormatien. Epiſcopus collationem hujusmodi ratam habens eam duxerit confirmandam, nos Devocionis veſtre precibus inclinati, quod ab eisdem Epiſcopo Comite, uxore ac filio in hac parte piè ac provide factum eſt in alterius prejudicium non redundat, ratum habentes et gratum, illud auctoritate Apoſtolica confirmamus et preſentis (ſcripti) patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagnie quinto Kal. July. (27. Jun.) Pontificatus noſtri anno undecimo.

XVII.

Digitized by Google

XVII.

Conſenſus Capituli Wormat. de Eccleſia in Scarra. (1254.)

Burchardus Decanus totumque Capitulum Majoris Eccleſie Wormatienſis tenore preſentium conſtare cupimus univerſis hujus ſcripti ſeriem inſpecturis, quod nos donationem Eccleſie in Scharren factam ab illuſtri Ottone Duce Bawarie Palatino Reni et liberis ſuis Schonaugienſi cenobio et fratribus ibidem Ciſterc. Ord. Wormat. Dyoc. ratam habemus et gratam et preſentibus aſſentimus. Actum Anno Domini M°. CC°. quinquageſimo quarto, pridie idus July. (14. Jul.)

XVIII.

Praepoſitus in Nuhuſen ad Schonaugienſes ſuper Eccleſia in Scarra.

S *). Dei gratia Wormatienſis Eccleſie Archidyaconus et Prepoſitus Nuhuſenſis dilectis in Xpo Abbati et Conventui Schonaugienſi Ciſterc. Ord. Worm. Dyoc. ſalutem in omnium ſalvatore. Donationem Eccleſie in Scharren, quam ſicut nobis ſcripſiſtis, illuſtris

Digitized by Google

ſtris Palatinus Comes Reni vobis contulit, propter Deum, Gratam habentes et ratam, donum altaris in eodem vobis porrigimus et largimur. Datum Anno Domini M°. CC°. LIV°.

*) Stephanus è Comitibus Sarapontanis. . .

XIX.

Innocentius IV. PP. conſtituit conſervatores Confirmationis Eccleſiæ in Scarra. (1254.)

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filys Sancti Albani et S. Jacobi Abbatibus Maguntinis Salutem et Apoſtolicam benedictionem. Cum ſicut exhibita dilectorum filiorum Abbatis et Conventus Monaſtery Schönaug. Ciſterc. Ord. Worm. Dyoc. peticio continebat, quondam Otto Comes Palatinus Reni et Dux Bawarie nobilis mulier Agnes uxor ejus et Ludewicus natus ipſorum jus patronatus quod in Eccleſia de Scharren Worm. Dyoc. optinebant, eis duxerint liberalitate pia et provida conferendum ac Ven. frater noſter Richardus Worm. Epiſcopus collationem hujusmodi ratam habens eam duxerit confirmandam, nos devocionis

nis dictorum Abbatis et conventus precibus inclinati, quod ab eisdem Epiſcopo, Comite, uxore ac filio in hac parte pie ac provide factum eſt et in alterius prejudicium non redundat, ratum habentes et gratum, illud per litteras noſtras duximus confirmandum, quocirca Dilectioni Veſtre per Apoſtolica Scripta mandamus, quatinus dictos Abbatem et Conventum non permittatis contra confirmationis noſtre tenorem ſuper hys ab aliquibus indebite moleſtari, moleſtatores hujusmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtante, ſi aliqui ex indulto Apoſtolico excommunicari aut interdici nequeant vel ſuſpendi abſque noſtro ſpeciali mandato faciente plenam et expreſſam de indulto hujusmodi mentionem. Datum Anagnie V°. Kal. July (27. Jun.) Pontificatus noſtri anno XI^mo^.

XX.

Prepoſitus in Nuhuſen, de immittendis Schonaugienſibus in poſſeſſionem Eccleſie in Scarra. (1254.)

St *). Dei gratia Nuhuſenſis Eccleſie Prepoſitus dilecto ſuo concanonico

C. de Stocheim ſalutem et quidquid poteſt obſequii et honoris. Cum Otto Comes Palatinus Reni et Dux Bawarie cum conſenſu uxoris ſue et heredum ſuorum, Item de voluntate et aſſenſu Reverendi Patris Wormatienſis Epiſcopi et ſui Capituli Eccleſiam de Scharren, cujus preſentatio ad ipſum pertinere dinoſcebatur, cum omni jure, quod in ea habuit, Eccleſie Schönaugienſi Ciſtercienſis Ordinis abſolute contulerit poſſidendam perpetuo et habendam, vobis mandamus rogantes, quatinus Abbati et conventui monaſterii memorati vice noſtra modis omnibus, quod ad noſtrum Spectat Officium, faciatis et quàm cito facultas ſe obtulerit, auctoritate noſtra ſcribatis Archipresbytero, ut dictos Abbatem et Conventum in poſſeſſionem ſupra dicte Eccleſie curet mittere corporalem. Datum Anno Domini M°. CC°. quinquageſimo quarto in octavis Bartholomei Apoſtoli. (31. Aug.)

*) Stephanus è Comtibus Sarapontanis.

Digitized by Google

XXI.

Concambium unius jugeri apud Eccleſiam in Blankenſtat. (1257.)

Hermannus ſcultetus, ſcabini et univerſi cives in Heidelberg. Noverint univerſi preſentis pagine inſpectores, quod pueri Gumperti quondam ſculteti civitatis noſtre videlicet Cunradus, Johannes, Hirmela et Hildegundis communi conenſu concambium unius agri pro alio jurnali cum Abbate et Conventu Schonaugienſis cenobii admiſerunt, dantes eis videlicet unum jugerum ſuum apud Eccleſiam in Blankenſtat ad dilatandum curiam quam habent ibidem et recipientes alterum jugerum per manum fratris Zeiſſolfi magiſtri ejusdem curie, quod locatum eſt juxta dotem eccleſie in Blankeſtat et ne ſuper concambio predictorum agrorum cuiquam impoſterum ſcrupulus oriatur, nos preſenti littere de rogatu partium utrarumque ſigillum civium noſtrorum duximus appendendum. Teſtes hujus rei ſunt cognomine volpes. H. Hophart H. Scultetus et Burchardus de Turri. Actum Anno Domini

mini M°. CC°. LVII°. in Vigilia Sancti Georgii. (22 Apr.)

Hoc anno Cunradus ſcultetus, ſcabini et univerſi cives publicis conſtare voluerunt litteris, quod Controverſia, quæ vertebatur inter Fratres Schonaugienſes ex parte una et Heinricum Redere ex altera ſuper domo et area in Lautemburg per arbitros de conſenſu partium taliter eſt deciſa; videlicet, quod idem Heinricus et Giſela uxor ejus inhabitare debent domum eandem ad terminum vitæ ſuæ ſub cenſu trium ſolidorum hallenſ. in feſto S. Martini, quos annuatim fratribus Schonaugienſis Eccleſiæ præſentabunt. Si vero neceſſitate aliqua compulſi domum ipſam vendere voluerint, ipſam primò venalem fratribus exhibebunt, ipſisque præ omnibus vendent, ſi voluerint comparare. Poſt obitum autem utriusque, Heinrici ſcilicet et Giſele, ædificia quæ in præfata area ſunt conſtructa, per viros diſcretos æſtimabuntur. Fratreſque Schönaugienſes pretium eorum hæredibus ipſorum aſſignabunt; et ſic tam area, quam Domus eccleſiæ libere remanebit. . . p. 229.

XXII.

XXII.

Heinricus Wackerphil dedit nobis curiam in Loptenburg. (1258.)

Eberhardus Dei Gratia Wormatienſis Electus. Noverint univerſi preſentis ſcripti ſeriem inſpecturi, quod Heinricus miles cognomine Wackerphil communi manu Algardis conjugis ſue et pleno conſenſu contulit et donavit Eccleſie Sancte Marie in Schonaugia Ord. Ciſterc. Worm. Dyoc. Domum et curiam in Lautemburg interiori muro innixam et vineam unius jugeri et dimidii prope portam muri exterioris verſus Eccleſiam Sancti Martini locatam reſignantes tam domum quàm vineam coram ſcabinis et populo civitatis per manus Domini Heinrici Abbatis nomine cenobii memorati jure cenſualis proprietatis perpetuo poſſidenda, quod Abbas predicta omnia, curiam videlicet et vineam pro annuo cenſu dimidie libre cere conceſſit eisdem in vigilja Katerine quoad vixerint perſolvende, tali conditione de conſenſu partium accedente, quod poſt obitum dicti militis et conjugis memorate in Capella Sancte Katherine in Lautemburg de predictis omni-

omnibus fratres Schonaugienſes oleum ad Lampadem noctibus et tempore, quo miſſa in capella cantatur in perpetuum miniſtrabunt, de domo autem et curia in Dominica *Invocavit*, (Dom. I. Quadrag.) dabitur nobis et ſucceſſoribus noſtris denarius Wormat. pro cenſu et de vinea unus, promiſſum eſt etiam à partibus et auctoritate noſtra firmatum, quod nunquam occaſione aliqua incidente licebit prędecto militi vel ſuę conjugi nec etiam poſt ipſorum obitum fratribus de Schonaugia domum, curiam et vineam ſepedictam vendere vel modo quolibet alienare. Teſtes Reimboto in porta, Ebelinus pincerna, Godefridus de Pheffelkeim. Cunradus de Winheim Gener Wackerphili. Hartliebus dives. Wezelo. Gebhart. Herbordus de Sickenheim. Marquardus pellifex. Godefridus de Waleſtat. Eberhardus aliique quam plures. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. quinquageſimo octavo.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

Henricus Abbas in Frankendal Prepoſito in Hegen concedit facultatem omni juri bonorum in Blanckenſtat renuntiandi (1259.)

H. Dei Gratia Abbas Eccleſie in Frankendal dilecto ſibi in Xpo filio Erphoni Prepoſito in Hegen Salutem in Domino. Auctoritate preſentium tibi plenariam concedimus facultatem reſignandi et renuntiandi ex parte noſtri et Conventus Sanctimonialium in Lobenvelt omni juri bonorum in Blankeſtat, de quibus videbamur alienum frequentare plebiſcitum *) in Hetdensheim in manus et poteſtatem Domini Abbatis et conventus monaſterii Schonaugienſis. Datum in vigilia Johannis Baptiſte Anno Domini M°. CC°. LIX°.

*) Conventus plebis. Generale placitum.

XXIV.

De bonis que contulit nobis Arnoldus filius monialis. 1259.)

H. Scultetus, Scabini et univerſi cives de Heidelberg tenore preſencium publice proteſtamur, quod Arnoldus

filius dicte monialis et Mergardis uxor ipſius noſtri concives, cum liberos non habeant, Xpum heredem bonorum ſuorum facere cupientes, domum ſuam ſitam in civitate noſtra cum curia attinente, agros ſuos quos in terminis ville Bergenheim et vineas quas apud Hentſchuhesheim habebant, monaſterio Schonaugienſi, communicata manu donatione facta inter vivos pro animarum ſuarum remedio contulerunt tradentes ea in manus Venerabilis Domini O. Abbatis ejusdem monaſterii cum ſollempnitate debita et conſueta recepto ab eodem Abbate uſufructu dictorum bonorum, qui eisdem conceſſus pro annuo cenſu libre cere in feſto Purificacionis beate Virginis Marie, monachis Schonaugienſibus perſolvendo utrique conjugum predictorum ad tempora vite ſue integraliter remanebit, ac poſt obitum amborum ad monaſterium libere devolvetur. Preterea ſepedicti Arnoldus et uxor ipſius jam dudum a cenobio memorato duos jurnales vinearum ſitos in monte Ziegeltit ſua pecunia comparaverunt, ita videlicet, ut uno ipſorum mortuo melior inter eosdem jurnales

nales ad ipſum cenobium revertatur, reliquo etiam jurnali poſt mortem alterius revertente. Teſtes hujus rei ſunt H. Swebelinus. Rudolfus monachi. Cunradus converſus Schonaugienſis. Item H. dictus Hophart et H. filius ejus. Heilmannus filius Hermanni Vulpis. Imarus pellifex. Walravenus. Hermannus Swere, Hermannus Muzzelin, et alii quam plures. Et quia hec rite coram nobis acta ſunt, ſecundum quod exigit jus civile, nos in teſtimonium et robur ipſorum preſentibus litteris tam ad peticionem Abbatis quam conjugum predictorum ſigillum civitatis noſtre duximus appendendum. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. LIX°. Menſe julio hujus anni Henricus Abbas in Franckendal atteſtatur, quod prædium illud in Blanckenſtat, de quo ſupra ad an. 1254. integrum remanſerit, excepto uno jurnale, qui in compoſitione cujusdam litis Swickero de Hentichusheim olim datus fuit, prædium hoc ex parte dimidia, ut mederetur urgenti Lobenfeldenſium neceſſitati Schonaugienſibus vendebatur, reliqua pars emptionis titulo pervenie-

bat ad Eberhardum Epiſcopum Wormatienſem. p. 230.

Menſe dein Auguſto Eberhardus modo dictus curiam liberam in Blanckenſtàt cum omnibus bonis attinentibus, quæ à Magiſtra et Conventu Sanctimonialium in Lobenvelt Abbate Franckendalienſi interveniente emendo comparavit, monaſterio Schonaugienſi donavit. p. 231.

Menſe Decembre ejusdem Anni Heinricus Abbas in Frankendal *) et Conventus ibidem declaraverunt, quod Conventus monialium in Lobenveld *a*) evidenti neceſſitate cogente vendidit fratribus Schönaugienſibus medietatem omnium bonorum ſuorum, quæ in villa Blanckeſtat *b*) et in ejusdem villæ terminis poſſederunt in areis, agris, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, cultis terris et incultis, cum omnibus pertinentiis ſuis (excepta ſola curia, quam inhabitare noſcuntur) pro CC et L. talentis hallenſ. Bona hæc conventus monialium prædictus in manus Heinrici Abbatis et fratrum Schonaugienſium reſignata ſunt. Tali utrimque pacto communiter accedente, quod

cum

cum primùm ſerenitas aeris, quæ nunc nivibus et Gelu impeditur, redierit, partes concurrent et fiet diviſio et diſtinctio plena bonorum dictorum et prout tunc diviſio fuerit celebrata, novis et idoneis privilegiis firmabitur Epiſcopi Wormat., Capituli Majoris. . . p. 221.

*) Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini anno MCXIX. cœpit ædificari.

a) Ord. Ciſterc. monaſterium Monialium in pago Creichgau.

b) Haud procul à Schwetzingen.

Eodem anno Trutkindus Camerarius civis Wormatienſis X ſolidos annuos de cenſibus II. librarum, quos habet ſuper curiam Eberhardi Heldecoph in oppoſito juxta S. Sixtum *), contulit Schonaugienſibus pro refectione fratrum in capite jejunii cum halecibus. p. 223.

*) Hodie non âmplius extat hæc capella, ſed tantùm locus illi olim contiguus der Sixtplan.

An. MCCLV. XV. Kal. Apr. (18. Mart.) Alexander IV. PP. Schönaugien-

gienſibus conceſſit exemptionem à decimis animalium. p. 224.

Menſe novembri hujus anni ſymon et Bertoldus nobiles de Schowenburg conſentit in venditionem bonorum feudalium in Nuenheim fratribus cœnobii Schönaugienſis factam. p. 225.

Anno MCCLVI. IIII. idus Januarii (10. Jan.) Alexander PP. IV. facultatem Schonaugienſibus concedit, perſonas extraneas penes ſe contumulandi, ſalvo jure eccleſiarum parochialium, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. p. 226.

Idem Pontifex hoc anno IIII. idus jan. Schonaugienſibus Indulſit, ut poſſeſſiones et alia bona mobilia et immobilia, (exceptis feodalibus) quæ perſonas liberas fratrum ad monaſterium dictum, mundi relicta vanitate, volantium et profeſſionem facientium in eodem, ſi remanſiſſent in ſeculo, ratione ſucceſſionis vel quocunque alio juſto titulo contigiſſet et dare aliis potuiſſent, petere, recipere ac retinere valeant. p. 227.

Idibus Martii (15. Mart.) hujus anni Ludewicus Palatinus comes, Dux Bawariæ

wariæ remittit jns precariæ círca bona Schönaugienſibus in Blanckenſtát tradita. p. 228.

XXV.

De Curia in Wattenheim et bonis ibidem. (1260.)

Conradus de Lichtenſtein. Noverint univerſi preſentes literas inſpecturi, quod cum Dominus Gerhardus de Horemberg ſocer meus et Gerdrudis uxor ipſius curiam ipſorum in Wattenheim ſitam cum omnibus bonis attinentibus videlicet agris et pratis ac aliis univerſis que in eadem villa et in terminis ejus habebant, liberaliter et Communicata manu donaverunt monaſterio Schonaugienſi, ego una cum conjuge mea donacionem eandem ratam et gratam habeo bona fide promittens, quod nec ego nec predicta uxor mea Abbatem et Conventum Monaſterii prenotati in poſſeſſione predictorum bonorum nunquam moleſtabimus aut procurabimus moleſtari. Cum in bonis ipſis nichil juris penitus habeamus, nec prefatum ſocerum et ſocrum noſtram poſſimus ac potuerimus rationabiliter impedi-

pedire quominus ipſa bona cuicunque vellent, venderent ſive darent. In cujus rei teſtimonium ſigillo meo preſentes litteras communivi. Actum anno Domini M°. CC°. LX°. menſe Martio.

Eodem anno Rudolphus marchio de Baden notum fecit, quod Abbali et Conventui de Schönaugia univerſa bona in Oppohowen ſita, quæ ad ipſos à proavo ſuo beneficio pietatis et eleemoſinæ deſcendiſſe noſcuntur, vendendi vel alio quoquo modo alienandi à ſe ad uſus forſitan meliores (ipſis hoc abſque Marchionis conſenſu non præſumentibus attemptare) liberam conceſſit facultatem, maximè cum ad hoc ipſum cognati ſui Ludewici Comitis Palatini et Ducis Bawariæ ſe voluntas obtulerit et conſenſus. p. 233.

Eodem anno Reinoldus civis Lautemburgenſis et uxor ejus Liba convenerunt cum Abbate et fratribus Schönaugienſibus, quod Curia in Lautemburg (dictorum conjugum) poſt obitum eorundem ad Eccleſiam Schönaugienſem tranſeat libera et ſoluta. p. 234.

Anno MCCLXI. in die Vincentii Martinis (22. Jan.) Ingramus pater et hujus

hujus nominis filius remittunt Schonaugienſibus omnem exactionem, quam exercere poſſent ſuper curia nobilis mulieris de Rietberg in Wibelingen. p. 235.

Eodem Anno Boppo Comes de Diligesberc Conventui in Schonaugia hanc gratiam ſpecialem ſtuduit impartiri, ut ab omni onere thelonei per alveum Neckari, navem ſuam rebus ſuis vel perſonis onuſtam per ſuum dominium dirigentes, liberi eſſe debeant et immunes. p. 236.

XXVI.

Donatio Hiltenburgis vidue filie Richeri quondam civis Wormatienſis. (1262.)

Conſules et univerſi cives Wormatienſes conſtare volumus preſencium inſpectoribus univerſis tam preſentibus quam futuris, quod Hilteburgis vidua quondam Richeri civis Wormatienſis noſtra concivis in noſtra preſencia conſtituta dedit et legavit pro ſue, patris et matris nec non omnium parentum ejus animarum remedio atque in honorem Viginis Building Glorioſe Abbati et Conventui de Schonaugia Ord. Cyſterc. libera-

Digitized by Google

beraliter iſta bona, videlicet, in villa Oſthoven domum et curiam parvam domui adjacentem, Item quinque jugera vinearum. Item an Bertheimer wege quinque quartalia et in bichisberg quartale vinearum. Item dedit Abbati et Conventui cenſus novem unciarum Wormacienſium cum denariis decem Wormacienſibus ſubſcriptos infra muros civitatis noſtre annis ſingulis in feſto beati Georgii de areis infra notatis aſſignandos. Heinricus Buſchilhart et ſui heredes de area domus in qua morantur in inferiori foro quinque uncias Wormacienſes preter denarios quinque. Item Gumpertus piſcator et ſui heredes ibidem quadraginta quatuor Wormat. de area domus ſue. Item Heinricus Gener Volperti viginti quinque denarios de area domus ſue. Item Domine de Orto Sancte Marie de area ſita in loco predicto viginti quinque denar. Wormat. cenſuales. Hec omnia bona predicta dicta Hilthenburgis dedit Abbati et Conventui memoratis et ſignavit ea in manus et poſſeſſionem eorumdem in perpetuum poſſidenda, recipiens hec bona ad tempus vite ſue pro annuo

annuo cenſu ſcilicet, pro dimidia libra cere in Purificatione Glorioſe virginis ſingulis annis Abbati et Conventui predictis perſolvende, hoc adjecto, quod ſepedicti Abbas et conventus in die obitus dicte Hiltheburgis de bonis premiſſis conſolationem ſive refectionem communiter habeant annis ſingulis, ſalubrem anime ipſius patris et matris ac parentum ejus memoriam peragendo. In horum teſtimonium atque robur perpetuo valiturum ad peticionem tam Abbatis et Conventus quam etiam Hiltheburgis predictorum preſentem litteram dedimus ſigillo civitatis noſtre roboratam. Actum Anno Domini Mill°. CC°. LX°. ſecundo. In octava Epiphanie Domni. (13. Oct.)

II: nonas Martii (6. Mart.) ejusdem anni Collegium Eccleſiæ Majoris tanquam Dominus fundi curiam à Schonaugienſibus Wormatiæ recens acquiſitam, in ipſos jure transfert. p. 238.

Idibus Martii libera fit compromiſſio Richeri et jacobi fratrum Wormat. ſuper bonis ſuis poſt obitum ad fratres Schönaugienſes trasferendis. p. 240.

Feria quarta proxima ante Dominicam, qua cantatur *Laetare Jeruſalem* (13. Mart.) Hezelo Cantor Eccleſiæ Collegiatæ ad S. Martinum Wormatiæ proprietatem curiæ in Wattenheim cedit Schonaugienſibus, uſufructu ad dies vitæ ſibi reſervato. Hanc ordinationem Eberhardus Wormatienſis Epiſcopus ſigillo ſuo firmavit. p. 241.

Menſe Aprili Ingramus, de quo anno præcedente, peregrinationem religioſam ſuſcepturus, forſan non reverſurus omnia bona apud Wiblingen et Eppelnheim Eccleſiæ Schönaugienſi offert. p. 242.

XXVII.

Curia in vico ſalis ſpire ſita donatur Schonaugienſibus. (1263.)

Werneherus Dei gratia Major Spirenſis Præpoſitus Venerabili viro Abbati Monaſterii Schonaugienſis ſalutem in omnium ſalvatore. Notum vobis fieri cupimus per preſentes, quod honeſta matrona Domna Methildis relicta Manhardi civis ſpirenſis una cum Volzone fratre ipſius in noſtra preſentia conſtituti, dicta matrona preciſe donavit

vit curiam ſuam ſitam in vico ſalis, quam dictus Volzo frater ejus inhabitat apud fontem, dicto Volzoni et ejus heredibus legittimis poſt mortem ipſius ſibi vel predictis heredibus ſuis proprietatis titulo retinendam, hac tamen interpoſita cautione, quod ipſe vel ipſi monaſterio veſtro viginti marcas puri argenti et monaſterio Mulenbrunnen tantumdem in remedium anime ipſius et Manhardi prehabiti viri ſui poſt mortem ipſius debeant aſſignare. Sin autem dicta monaſteria ſolucionis hujusmodi reſpectum habere debeant in curiam memoratam. In cujus rei teſtimonium preſentem literam ad inſtanciam dicte matrone vobis damus et monaſterio Mulenbrunnen unam et Volzoni unam ſigilli noſtri munimine roboratam. Actum et Datum Anno Domini M°. CC°. LX°. tercio. menſe Januario.

Quarta feria poſt octavam Aſſumptionis Virginis glorioſæ (29. Aug.) hujus anni Ebelinus Abbas et Conventus monaſterii Schonaugienſis publicè profeſſi ſunt, quod curiam Richeri *) civis Wormatienſis ad clauſtrum Schönau-

gienſe per Fr. Jacobum Richeri, Richilmannum et Jacobum ipſius pueros devolutam, libera voluntate omni ſpatio, prout ipſa curia ſita eſt in civitate Wormatienſi cum domo retro attinente ſita ex oppoſito curiæ quondam Alkindi conceſſerint Heinrico Richeri et Elizabeth ipſius conſorti, cui Heinrico prius in ipſa curia quædam gratia facta fuit; pro annuo cenſu videlicet pro IIII. libris denariorum Wormat. legalium, quarum duæ in feſto B. Georgii, reliquæ duo in feſto B. Remigii annis ſingulis monaſterio debent aſſignari à conjugibus memoratis. Hoc adjecto, quod poſt mortem prædictorum Heinrici et Elizabeth medietas curiæ cedet pueris Heinrici prædicti, quos habet ex Hedwige conjuge ſua prima et eorum hæredibus poſſidenda. Reliqua medietas curiæ cedet pueris Heinrici prædicti, quos habet ex Elizabeth ſecunda conjuge nunc vivente et eorum hæredibus poſſidenda. p. 244.

*) Vid. an. 1251. in Craſtino Epiphaniæ.

Kal. Sept. (1. Sept.) Cunradus de Stralenberg Schonaugienſibus donavit jur-

jurnalem vinearum et molendinum in terminis villæ Schriesheim. p. 245.

XXVIII.

Guda quinque uncias denariorum Wormatienſium cenſuales Capelle Schonaugienſi in Wormatia legavit. (1263.)

Conſules et univerſi cives Wormatienſes. Noverint univerſi preſentium inſpectores, quod Guda vidua relicta bone memorie Ulrici Marſcalci quondam noſtri concivis, ut in eterna ſibi meritum comparet manſione, contulit capelle fratrum Schonaugienſium ſite in noſtra civitate *a*) in curia eorundem fratrum quinque uncias denariorum Wormatienſium cenſuales ſolvendas annuatim tam de curia que dicitur militelli ſita in civitate noſtra in vico lane *b*), quam de area eidem curie adjacente, quam dicta vidua a muliere que nominatur de Suſenheim, comparavit, ita quod quinque ſolidi de parte illa curie prenotate, quam Cunradus dictus militellus concivis noſter nunc inhabitat et due uncie de area ſupradicta, que jam dicte curie adjacet, an-

 nis

nis ſingulis perſolvantur, quorum cenſuum medietas in feſto beate Margarete et reliqua medietas in die nativitatis Domini ſolvi debet. De hys autem cenſibus conſtituit Guda predicta et taliter ordinavit, ut de ipſis oleum ad lampadem in predicta capella nocturno duntaxat tempore arſuram perpetuo miniſtretur. In cujus rei teſtimonium et noticiam pleniorem preſentes litteras inde confectas ad peticionem vidue memorate et fratrum de Schonaugia fecimus communiri. Datum Anno Domini Mill°. CC°. LX°. tercio. Nonas Novembris. (3. Nov.)

a) Curia Monaſterii Schönaugienſis in Civitate Wormatienſi muro civitatis circa portam Pavonis (Pfauenthor, hodie das Viehethor) contigua, ex altera parte proximè adjacet Sacello S. Valentini antiquiſſimo. In medio horti Capella ſolidè exſtructa conſpicitur, variis intùs adhuc exornata picturis. De curia præfata quædam attulimus ad an. MCCXLVI. ratione ſtillicidii recipiendi in horto Wernheri contiguo. Ad annum quoque MCCLXII. quo Eccleſia Major Wormatienſis fundi hujus curiæ Dominus, eandem jure hœreditario transtulit in Schönaugienſes.

b) Vi-

Digitized by Google

b) Vicus lanæ, die Wollgaſs ſuam retinuit denominationem. Ibidem libra lanæ pendendæ ab Epiſcopo erecta, die Woll-Waag.

XXIX.

Deciſio litis inter nos et Abbatem et Conventum Eccleſie ſuper bonis ſitis in terminis ville Abenheim *) (1263.)

Abbas. Decanus. Prepoſitus et Conventus Eccleſie Fuldenſis erbipolenſis thyoc **). Ordinis Sancti Benedicti. Ad amputandam omnem cavillacionis occaſionem, impoſterum cautum eſſe dinoſcitur et ſecurum, ut ea que pro bono pacis rite fuerint ordinata, litterarum teſtimonio roborentur. Notum ergo eſſe volumus modernis et poſteris preſentem paginam inſpecturis, quod cum inter nos ex parte una et Abbatem et Conventum Ciſtercienſis Ordinis Wormatienſis thyoc. ſuper bonis que habent infra marcham ville Abenheim ejusdem Wormatienſis thyoc. ex altera coram Decano et Cantore Eccleſie Aſchaphenburgenſis Moguntine thyoceſis judicibus a ſede Apoſtolica delegatis queſtio mota eſſet, tandem de bonorum virorum conſilio accedente ad

hoc

hoc prefatorum judicum exhortacione et conſenſu dicte queſtionis materia extitit ſic deciſa, quod predicti Abbas et Conventus Eccleſie de Schonaugia medietatem cenſus qui competit de bonis, que nunc habent infra predicte ville Abenheim cum omni jure et conſuetudine, quo ſolvuntur alie huebe ibidem annis ſingulis eccleſie noſtre, ſolvere teneantur, hoc etiam adjecto, quod nulla bona eccleſie Fuldenſis abſque conſenſu et voluntate noſtra recipient aut precio comparabunt. Ut autem hec ordinatio rata et inconvulſa permaneat, preſentes litteras noſtro et Eccleſie noſtre ſigillis duximus conſignandas, Acta ſunt hec Anno Domini Milleſimo. ducenteſimo. ſexageſimo tercio. in Craſtino Sancti Martini. (12. Nov.)

*) An. DCCCXXXII. Henricus Rex Rom. hujus nominis I. ab Hadamaro Fuldenſi Abbate varia in variis pagis ex concambio obtinuit bona, Abbati viciſſim à Rege datum, quidquid in Abunheim in pago Wormazgouue in Comitatu Chunradi cum omnibus ad hæc jure pertinentibus cum Eccleſiis, mancipiis, curtibus, ædificiis, agris, pratis, aquis, vineis, ſilvis &c. in æternam proprietatem.

**) Id

**) Id velim intelligas de locis ex parte dextræ ripæ amnis Fuldæ ſitis. Diœceſis Moguntina extenditur ad alteram ripam &c.

XXX.

Cenſus deputati ad ſervitia Jacobi et Richeri. (1264.)

Nos Eberhardus Dei gratia Wormacienſis Epiſcopus, Conſules et Univerſi cives civitatis ejusdem conſtare volumus univerſis preſencium inſpectoribus, quod cum inter fratrem Jacobus Richeri de Schonaugia et Heinricum Richeri civem Wormatienſem fratrem ſuum ſuper curia Richeri quondam patris eorundem dudum quæſtio verteretur, tandem Venerabilis vir Abbas Schonaugienſis nomine ipſius et Conventus ſui queſtionem de ipſa curia motam inter fratres predictos decidit et eam deciſionem litteris ſuis et Conventus ſui patentibus ſtabilivit modo ſubſcripto. Frater Ebelinus dictus Abbas totusque conventus Monaſterii Schonaugienſis tenore preſencium profitemur et notum facimus preſencium inſpectoribus univerſis, quod nos curiam quondam Richeri civis Wormatienſis ad nos

 et

et clauſtrum noſtrum per fratrem Jacobum Richeri Richilmannum et Jacobum ipſius pueros noſtros confratres devolutam, libera voluntate omni ſpacio, prout ipſa curia ſita eſt in civitate Wormacienſi cum domo retro attinente ſita ex oppoſito curie quondam Alkindi, conceſſimus Heinrico Richeri et Elizabeth ipſius conſorti dilecte, cui H. prius in ipſa curia quedam gratia facta fuit pro annuo cenſu videlicet pro quatuor libris denariorum Wormatienſium legalium, quarum due in feſto beati Georgii, relique due in feſto beati Remigii annis ſingulis nobis et Conventui noſtro debent aſſignari a conjugibus memoratis, hoc adjecto, quod poſt mortem predictorum H. et E. medietas curie cedet pueris Heinrici predicti, quos habet ex Hadwige bone memorie conjuge ſua prima et eorum heredibus poſſidenda. Reliqua medietas curie cedet pueris Heinrici predicti quos habet ex Elizabeth ſecunda conjuge ſua nunc vivente et eorum heredibus poſſidenda. In teſtimonium et robur premiſſorum et conceſſionis noſtre facte coram Venerabili Domino noſtro Eberhardo Wormatienſi

tienſi Epiſcopo et multis preſentibus fide dignis preſentem litteram ſigillo noſtri conventus dedimus conſignatam. Actum Anno Domini Mill°. CC°. LX°. tercio, quarta feria poſt Octavam Aſſumpcionis viginis glorioſe *). Hanc ſiquidem deciſionem et conceſſionem de ipſa curia factam dictus Abbas coram nobis nomine ipſius et Conventus ſui publice proſitendo innovavit. Eandem et modo ſubſcripto pro ſe et conventu ſuo ipſam curiam reſignavit. In cujus facti teſtimonium atque robur preſentem litteram ſigillorum noſtrorum munimine dedimus conſignatam. Datum Anno Domini Mill°. CC°. LX°. quarto, quarta feria poſt octavam Pentecoſtes. (18. Jun.)

*) Confer. charta anni præcedentis,

XXXI.

Henricus Wackerphil vendidit nobis quedam bona ſua in terminis oppidi Lautemburg pro C. libris hallenſ. (1264.)

Eberhardus Dei gratia Wormat. Epiſcopus. Burchardus Decanus totumque Capitulum Majoris Eccleſie Wormat.

mat. Univerſis tam poſteris quam modernis hoc ſcriptum viſuris cupimus eſſe notum, quod cum Heinricus miles dictus Wackerphil bona ſubſcripta ſita in terminis oppidi noſtri Lautemburg cum infra ſcriptis penſionibus et cenſibus, que a nobis et ab Eccleſia noſtra tenebat in feodum nobis et eidem Eccleſie noſtre publice reſignaſſet, nos eadem bona cum penſionibus et cenſibus ſubnotatis pari conſenſu et unanimi voluntate vendidimus Abbati et conventui monaſterij Schonaug. ord. ciſterc. noſtre dyoc. pro centum libris hallenſ. que in utilitatem noſtram et noſtre Eccleſie ſunt converſe et tradidimus ipſa bona omnia cum ſollempnitate debita et conſueta aſſignantes ea dictis Abbati et Conventui jure proprietatis in perpetuum poſſidenda et de ipſis plenam Warandiam eisdem fratribus faciemus. Verum quia prefatus miles partem predictorum bonorum conjugi ſue Agneti de noſtro conſenſu deputaverat nomine ſue dotis habendam, ne dictos Abbatem et Conventum formidare oporteat, ipſis et monaſterio ipſorum ab eadem Agnete ſuper

ſuper eisdem bonis ratione ſue dotis actionem moveri impoſterum dicta Agnes in noſtra preſentia juratoriam preſtitit cautionem, quod prenominatos Abbatem et Conventum ſuper eadem dote nunquam impetet vel gravabit. Sunt hec bona et ſitus eorum que vendidimus fratribus de Schonaugia memoratis, in der Owen viginti ſeptem jugera. Item in loco qui dicitur uſſer der Owen novem jugera. Item quinque jugera et dimidium, que fuerunt olim monialium clauſtri de Hagene. Item in Campo Boteshei̇m duo jugera et unum duale quod vulgariter nominatur Zweitel. Item totum nemus illud quod Lehenholz appellatur. Sunt quoque hy cenſus et penſiones. Johannes Capellanus vel quicunque alius poſſeſſor extiterit illius manſi, qui fuit quondam Heinrici dicti Berbiz unum quartale ſiliginis et duo quartalia avene que vulgo dicuntur vierteil, ſingulis annis ſolvet. Item heredes Hartliebi agnomine Ritterbein annuatim tantundem ſiliginis et avene perſolvent. Item intra muros Lautenburg ſolvuntur annuatim octo uncie hallenſium cenſuales, ut

ergo

ergo hujusmodi contractus inter nos ac Abbatem et Conventum Schonaugienſem rationabiliter celebratus nullo unquam tempore in ambiguum deducatur, preſentes litteras inde fieri ſigillis noſtris fecimus communiri. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. LX°. quarto.

XXXII.

Super bonis Bavari in Tuſſenheim.

(1264.)

Nos Symon et Bertoldus Germani dicti de Schowenburg tenore præſentium poteſtamur, quod nos omnia bona que habet Bawarus miles in Tuſſenheim, ſuper quibus ipſum de quodam feodo impetivimus, quandoque liberum eſſe volumus, renuntiantes omni actioni, quæ nos vel noſtri heredes imposterum in ipſa bona habere poſſemus, dantes eidem Bawaro liberam facultatem, ut eadem bona propter Deum et pro anima ſua et parentum ſuorum conferat, ſi voluerit et ad quoslibet uſus pro ſue voluntatis arbitrio conferat et commutet. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram ſigillorum noſtrorum munimine dedimus eidem robora-

boratam. Actum Anno Domini M°. CC°. LX°. quarto in die Michaelis Archangeli (29. Sept.) Teſtes. Swiegerus, Arnoldus et Beringerus fratres. Hertwicus. Otto. Cunradus nobilis Rumeſadel.

XXXIII.

De vineis in Tuſſenheim II. jugerum ad Cameram noſtram ſpectantibus. (1265.)

Ego Bertoldus nobilis de Schowenburg tenore preſentium notum eſſe cupimus omnibus hanc paginam inſpecturis, quod Conradus dictus Rumeſadel duo jugera vinearum et dimidium ſita in terminis ville Thuſſenheim, in loco qui dicitur Undermehagen pro XX libris hallenſium vendidit monaſterio Schonaugienſi jure proprietatis habenda et eisdem vineis cum ſolempnitate debita reſignatis warandiam unius anni et diei promiſit monaſterio jam predicto, ſuper quo fidejuſſores conſtituit Heinricum dictum Bawarum militem et ſuicgerum filium Arnoldi dè Agileiſternhuſen in hunc modum et formam, ut ſi forte dictus Cunradus Warandiam non

non fecerit, ut promiſit, ipſi fidejuſſores omne dampnum vel impedimentum, quod infra ſpatium unius anni et diei a venditione facta monaſterio prenotato, inſuper ad habundantiorem cautelam prefatus C. XIX. jugera agri campeſtris ſita in marcha ville predicte et vineam unam dictam Heimbrecher et duas partes ſive unum zweideil unius jurnalis vinearum et pomerium atque pratum ibidem monaſterio Schonaugienſi pro ſuppignore quod vulgariter dicitur underphant obligavit, ſub hac forma, videlicet ut ſi monaſterium ſepedictum aliquod dampnum ratione vendicionis predicte ex nunc infra ſex annos continuos ſuſtinere contingat, fratres ipſius monaſterii ſuper hoc reſpectum habebunt ad idem ſubpignus et inde recuperabunt et reſarcient dampnum ſuum, quod ſubpignus, ſi memoratus C. prius quam dicti ſex anni fuerint evoluti diſtrahere ſeu vendere voluerit, ad predictos fratres recurſum habebit et eis prius quam alicui hominum offeret ad emendum, nec idem ſubpignus vendet alii quamdiu obligatum eſt fratribus prenotatis, nec ad hoc

hoc conſenſum habeat eorundem, verum ſi predictus Cunradus infra ſex annos preſcriptos obierit, dicta bona pro ſubpignore obligata, eisdem fratribus pro remedio anime ſue remanebunt jure proprietatis perpetuo poſſidenda. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram ad peticionem et inſtanciam utrorumque ſigilli mei munimine roboravi. Teſtes quoque hujus facti ſunt Walbrunus miles et filius ejus Walbrunus, Annoldus et Beringerus fratres filii Annoldi de Agleiſternhuſen. Heinricus dictus Curſenere et Wiricus. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. LX°. quinto.

Anno eodem menſe Januario Philippus de Minzenberg et Wernherus de Falckenſtein fratres Religioſos viros, Abbatem videlicet et Conventum monaſterii Schonaugienſis per alveum Reni deſcendentes et aſcendentes cum navibus ſuis, vino, ſive quibuslibet rebus aliis oneratis, de quibus duo vel tres fratres ejusdem Eccleſiæ in ordinem ſuum acceperint, quod ſint ſuæ, apud Caſtrum Falckenowe absque omni

ni exactione thelonei declarant penitus abſolutos. p. 246.

XXXIV.

De domo ſita in ſuperiori foro *). (1265.)

Wernherus Decanus totumque Capitulum Eccleſie Sancti Martini Wormatienſis. Noverint Univerſi preſencium inſpectores, quod Dominus Abbas et Conventus Schonaugienſis domum ſuam ſitam in ſuperiori foro Wormatie, quam bone memorie Heinricus et uxor ejus eidem monaſterio Schonaugienſi pro animarum ſuarum remedio contulerunt, Cunrado et uxori ſue civibus Wormatienſibus conceſſerunt hereditario jure tenendam, pro annua penſione videlicet novem ſolidis denariorum Wormat. eidem Eccleſie Schonaugienſi in feſto beati Remigii perſolvenda, hoc adjecto, quod ſi domus eadem exuſta fuerit, aut vetuſtate collapſa, dictus Cunradus et uxor ipſius vel quicunque ipſam domum inhabitaverit, eam ſuis ſumptibus reparabit. Quod ſi fortaſſis ipſam noluerit reparare, dictam nihilominus penſionem per-

perſolvet monaſterio memorato, ſalvo nobis jure noſtro videlicet novem denariis Wormat. qui a fratribus Schonaugienſibus nomine cenſus annis ſingulis perſolventur. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram ſigillo capituli noſtri duximus roborandam. Datum Anno Domini Mill°. CC°. LX°. V°. menſe Januario.

*) Vulgo auf dem Obermarck. Wormatiæ.

XXXV.

Cenſus annuus à ſanctimonialibus in Nuwenburg Heidelbergæ præſtandus transfertur pro anniverſario ad Schonaugienſes. (1265.)

Hermannus ſcultetus, ſcabini ac Univerſitas civium in Heidelberg notum eſſe volumus univerſis, quod Heinricus civis in Heidelberg et Hedewigis conjux ſua in honore virginisglorioſe pro remedio animarum ſuarum ac omnium parentum ſuorum Domino O. Abbati et Conventui monaſterii Schonaugienſis ordin. ciſterc. ſtupam balneariam, quam nunc inhabitant in ipſa civitate quatuor uncias cenſuum et unum ſolidum hallenſium, qui datur ex parte Domi-

narum Sanctimonialium de Nuwenburg, de camera eidem ſtupe contigua, conſenſu unamimi liberaliter contulerunt, ita videlicet ut poſt mortem amborum anniverſarius dies Obitus a dicto Conventu fideliter agatur, Dominum pro ipſorum delictis pie deprecantes. Preterea omnia bona ſua tam mobilia quam immobilia que nunc habent vel impoſterum acquiſituri ſunt, eadem liberalitate ac pia devotione inducti communiter obtulerunt Eccleſie memotate, hoc audientes fideliter promittendo, quod omnia ſupra dicta bona videlicet ſtupa et cenſus nunquam ab antedictis vendantur, H. et ſue conjugi conmutentur vel aliquo modo alienentur quacunque neceſſitate urgente. In cujus facti recognitionem ſingulis annis dimidiam libram cere nomine cenſus iisdem H. et ſua conjux eccleſie memorate preſentabunt. In cujus rei evidens teſtimonium preſentem cedulam ſigillo civitatis noſtre fecimus communire. Teſtes ſunt hy. Hermannus ſcultetus dictus vulpes, Ditericus Hophart. Hermannus ſutor. Ditericus. Burcardus de turri. frater Nibelungus. Cunradus molen-

molendinarius et ceteri quam plures. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. LX°. quinto. menſe Aprili.

XXXVI.

De libertate Domus in Heidelberg et molendini. (1265.)

Nos Ludewicus Dei gratia Comes Palatinus Reni Dux Bawarie tenore preſencium patere volumus univerſis Xpi fidelibus preſentibus et futuris, quod Eccleſie Schonaugienſi ciſterc. ordinis, Wormat. Dyoc. quam pio favore proſequimur, propter laudabilis vite converſacionem ibidem Deo famulantium et ob reverentiam glorioſiſſime Virginis Marie hanc graciam fecimus ſpecialem, videlicet, ut molendinum ipſius in Heidelberch ſitum et domus ad ipſum molendinum pertinens cum orto ejusdem domus perpetuo ab omni exactionis onere et qualibet precaria ſint libera et ſoluta, hoc incluſo, quod in dictis domo et molendino non alii homines, quam ipſius Eccleſie fratres vel monachi collocentur. In cujus rei evidenciam et perpetui roboris firmitatem preſentem cartam ſigillo

Digitized by Google

noſtre celſitudinis diſpoſuimus communiri.

Datum Heidelberg Anno Domini M°. CC°. LX°. quinto. Tertio nonas Juny. (3. Jun.)

In Craſtino Sanctorum omnium (2. Nov.) anni ejusdem Symon de Schowenburg renuntiat omni actioni, quæ ſibi adverſus fratres Schonaugienſes ſuper quibusdam bonis in Grangia Nuenheim competere potuiſſent, intuitu Divinæ retributionis renuntiat. Inſuper pro ſuæ poſſibilitatis modulo cupiens ſibi apud Deum majus remedium preparare ſalutis, etiam reditus X ſolidorum, qui ſibi à Cunrado de Stralinberg ac ſuis heredibus perpetuo jure debentur, poſt obitum ſuum prefato monaſterio perpetualiter cedere deſtinavit. p. 247.

Menſe eodem idem Symon notum fecit, quod olim Gerhardus pater ſuus erga Eccleſiam Schönaugienſem intimo devotionis ductus affectu, quædam bona in terminis villæ Doſſenheim ſitis Hoſpitali ejusdem monaſterii *) ad uſus pauperum deputaverit, proprietatis jure perpetuo poſſidenda, libera faciens ea

ab

ab omni jure advocaticio ſive precariæ; ac etiam exempta fore ſtatuens à ſolucione qualibet decimarum. Præfatus Symon paternæ pietatis devotus imitator et hæres exiſtere cupiens, non ſolùm hæc præfato monaſterio beneficia præſtita, grata et rata ſervaturum appromiſit, verùm etiam de omnibus bonis in prædictis terminis ſitis, quæ ſub ſui diſtrictus ditione clauduntur, de quorumcunque fidelium manibus ad fratres cœnobii ſœpèdicti devenerint, ab omni advocatitio jure ſeu precariæ, ſimul etiam quarumlibet decimarum ſolutione pro ſe et ſuis hœredibus dictis fratribus plenam et omnimodam tribuit libertatem. p. 248.

*) Cœnobia ordinis S. Benedicti et Ciſtecienſis ſemper fuère pauperum, in quibus Chriſtus ſuſcipitur, certum quoddam aſylum et perfugium, tam ex regularum præcepto, quam ex pia Fundatorum Benefactorumque intentione. Multa adhuc in Germania numerantur apud ædes Abbatiales hoſpitalia et Xenodochia. In litteris donationum hæc ſœpiùs occurrunt clauſulæ: Ut pauperibus et peregrinis tempore ſuſceptionis uſus neceſſarios poſſint præbere ſecundum id, quod Sanctæ Regulæ propoſitum atque mandatum jubet: Monachos in hoſpitum, pauperumque

que ſuſceptione, ſemper eſſe paratos. Hæc charitatis Officia apud eos ſtrenuè et vigilanter viguiſſe, hic et nunc adhuc vigere, docet experientia, optima rerum Magiſtra.

XXXVII.

Wackerphil vendidit nobis bona ſua in terminis Lautemburg. (1266.)

Johannes Scultetus, ſcabini et univerſi cives in Lautemburg tenore preſencium declaramus teſtimonium perhibendo, qualiter Dominus Heinricus miles agnomine Wackerphil univerſa bona ſua ſita in Lautemburg et in terminis civitatis ejusdem, que ab Eccleſia Wormat. in feodo optinebat, per manum venerabilis Domini noſtri E. Wormat. Epiſcopi, capituli ſui accedente conſenſu voluntario et expreſſo vendidit monaſterio Schonaugienſi jure proprietatis perpetuo poſſidenda, reſignavitque bona predicta publice ac ſollempniter ſecundum communem terre conſuetudinem coram nobis in cimiterio Sancti Sebaſtiani et aſſignavit ea fratribus Schonaugienſibus, qui etiam ipſa de manu predicti Domini Epiſcopi antea receperant et a capitulo prenotato.

Digitized by Google

tato. Super quo ad peticionem Domini Abbatis Schonaugienſis nec non predicti Domini H. militis preſentem litteram ſigilli noſtri communis munimine communimus. Datum Anno Domini M°. CC°. LX°. ſexto in Vigilia Petri et Pauli Apoſtolorum. (28. Jun.)

XXXVIII.

Heinricus Wackerphil contulit Schöndugienſibus domum ſuam et quandam vineam apud muros Làutemburg (1266.)

Johannes Scultetus, ſcabini et univerſi cives in Lautemburg tenore preſentium proteſtamur, quod cum Dominus Heinricus miles dictus Wackerphil domum ſuam ſitam in civitate noſtra una cum vinea ſua ſita extra muros civitatis ejusdem jam dudum pro anime ſue remedio contuliſſet Eccleſie Schönaugienſi, dictamque domum cum vinea recepiſſet ab Abbate Schönaugienſi tenendam ad tempora vite ſue pro annuo cenſu eidem Eccleſie perſolvendo, præfatus Heinricus nunc eandem domum omni juri, quod habiturus fuerat in eisdem, uſque ad terminum vite ſue

et reliquit ipſam domum et vineam Eccleſie ſepedicte jure perpetuo poſſidendam ita, quod de cetero ipſi Heinrico et ſuis heredibus nichil juris competit in eisdem. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram ad peticionem Domini Abbatis Schonaugienſis et prefati Heinrici ſigillo civitatis noſtre fecimus communiri. Datum Anno Domini M°. CC°. LX°. ſexto in vigilia Apoſtolorum Petri et Pauli. (28. Jun.)

XXXIX.

Sigelo de Oſtoven dat XVIII. ſolidos ſuper curia ſua ſita in Thwerchgazzen. (1266.)

Conſules et univerſi cives Wormatienſes conſtare volumus preſencium inſpectoribus univerſis, quod Sigelo de Oſthoven dictus noſter concivis in noſtra preſencia conſtitutus, inductus affectione paterna ad honorem Dei et matris ejus virginis glorioſe nec non pro remedio anime Jacobi filii ſui bone memorie dedit Abbati et Conventui monaſterii Schonaugienſis ordinis ciſterc. decem et octo ſolidos denariorum Wormatienſium ſuper curia ſua

ſita

ſita in vico Thwerchgazzen quam inhabitat, cenſuales, qui cenſus in feſto beati Georgii annis ſingulis perſolvetur, itaque de hujusmodi cenſu anniverſarius predicti Jacobi filii ſui a predicto conventu cum devocione debita anno quolibet celebretur, tali condicione adjecta, quod quandocunque dictus Sigelo predicto conventui comparaverit alios decem et octo ſolidos bene ſitos in recompenſam predictorum denariorum cenſualium deſignando, illos cenſus conventus prehabitus acceptabit et ex tunc dicti ſigelonis curia a cenſu prenominato ſoluta et libera permanebit. In teſtimonium et robur premiſſorum preſentem litteram ad preces Abbatis et Conventus et ad preces dicti noſtri concivis noſtre civitatis ſigillo dedimus communitam. Actum Anno Domini M°. CC°. LX°. VI°. in die beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum. (29. Jun.)

XL.

XL.

Relicta Friderici de Oſthoven dat libram Wormatienſem ſuper curia Wigonis, que curia zu dem Guldinne vinge appellatur. 1266.)

Conſules et univerſi cives Wormat. conſtare volumus preſentium inſpectoribus univerſis, quod cum Mergadis dicta phannenheberen noſtra concivis ſuper curia quondam Wigonis ſita ex oppoſito curie Gozonis militis de Muro unam libram denariorum Wormat. cenſualem et annalem haberet, ſuper qua etiam curia Wikelmannus quondam noſtre civitatis ſcultetus duas libras denariorum Worm. cenſualium et annualium comparavit, predicta libra, que ipſi Mergardi cedebat, poſt mortem ipſius Mergardis ad Johannem aurigam, uxorem ejus et ipſorum heredes fuerat devoluta, qui Johannes, uxor ſua et eorum heredes predictam libram Wormat. cenſus nomine relicte Friderici de Oſthoven noſtre concivi juſte venditionis titulo vendiderunt, cujus libre medietas in octava Epiphanie Domini annis ſingulis perſolvetur, poſtmodum predicta relicta Friderici ipſam libram

libram Wormat. cenſualem ſuper prelibata curia comparatam Abbati et conveutui monaſterii Schonaugienſis ord. ciſterc. pro remedio anime ejus et mariti ſui propter Deum et beatam Mariam genitricem ejus dedit ſimpliciter per hunc modum quod de ipſa libra cenſuali lumen ardens nocte dieque perpetuo lucem miniſtrans in domum Capitularem fratrum et ex altera parte reſpondens ſuper ſepulchrum dicti Friderici mariti ejus prehabiti procuretur et incommutabiliter obſervetur. In teſtimonium et robur perpetuo valiturum preſentem litteram ad preces Abbatis et Conventus et civium noſtrorum dictorum noſtre civitatis ſigillo dedimus communitam. Actum Anno Domini Mill°. CC°. LX°. ſexto. In die beatorum Apoſtolum Petri et Pauli. (29 Jun.)

Anno MCCLXVII. in craſtino B. Blaſii (4. Febr.) Arnoldus dictus filius monialis *), civis de Heidelberg et Mergardis uxor ipſius legitima omnia bona ſua in Hentſchuhesheim videlicet VI. jurnales vinearum in terminis dictæ villæ, quorum ſitus ſic ſpecificatur: unius jurnalis ſitus eſt in loco, qui dicitur

citur zu Birgel; Item duale in loco qui dicitur zu Sant Viten; Item unus in loco qui dicitur zu Veltmorgen; Item unus in loco qui dicitur zu Heldesmorgen; Item unus in loco qui dicitur zu Wegelangen; Item unus in loco qui dicitur zu Heimesbach; Item dimidium pomerium in memorata villa Hentſchuhesheim apud Birgel cum dimidia domo in eadem villa; Item L. jugera terræ arabilis, ſita in terminis villæ Bergeheim; Item IIII. libras hallenſ. et V. ſolidos ſuper domo et curia ſua in Heidelberg, quam inhabitant nomine cenſus annui et perpetui; Item duos jurnales vinearum in terminis Heidelberg in loco, qui dicitur zu zigelrit; monaſterio Schonaugienſi communicata manu et unanimi voluntate, liberaliter contulerunt et tradiderunt pleno jure, ita ut poſt mortem ipſorum conjugum ad dictum Abbatem et Conventum jure proprietatis et dominii debeant totaliter pertinere. . . Ordinaverunt nichilominus expreſſe præfati conjuges, quod ipſis ambobus ſublatis de medio, duo ſervitia de vino, quod creſcit in prædictis vineis, pane triticeo et piſcibus

pipe-

pipere competenter conditis, ſicut poterunt pro XXX ſolidis melius comparari pro uno ſervitio, ſingulis annis Conventui, omni prorſus occaſione poſtpoſita miniſtrentur. Si unum autem vel alterum negligatur, neglectum hoſpitali in Heidelberg, illa vice tantum ſolvatur. Bona ad dies vitæ manebunt apud conjuges prædictos. . . p. 249.

*) Vid. infra annum 1293.

Menſe junio hujus anni Gerhardus de Hohenhart Fratribus Schönaugienſibus per agros ſitos ſecus Grangiam Bruchhuſen verſus vineam monaſterii, quæ dicitur Unradeshelden, pervium iter dedit, ad ſuos uſus perpetuis temporibus oportunum, taliter et tam large, ut tam cum curribus, quam quibuslibet neceſſariis ſibi vecturis perviare queant. p. 252.

In die B. Bartholomæ Apoſtoli hujus anni Wernherus Archiep. Mog. Fratres Schönaugienſes à decimis de nutrimentis animalium ipſorum in Virnheim immunes declarat. p. 254.

Anno MCCLXVIII. Johannes Miles dictus de Winneheim omni juri Advocatiæ,

tiæ, quod habebat ſuper curia monaſterii Schonaugienſis ſita apud Virnheim, renuntiat. nempe circa hoſpitia equis aut vecturis præſtanda ſive alia præſtanda . . . p. 255.

XLI.

Erkengeri de Magenheim, quod vinee noſtre ibidem ſint libere. (1268.)

Ego Erkingerus nobilis de Maginheim conſtare cupio univerſis, quod pro remedio anime mee, conjugis mee ac parentum meorum vineas pertinentes ad curiam Eccleſie Schonaugienſis ſitam in Doſſinheim ab omni onere precarie liberas eſſe volo ac deinceps in perpetuum abſolutas. Accedente ad hoc prefate conjugis et liberorum meorum conſenſu ac benivola voluntate. In cujus rei teſtimonium preſentes litteras ſigillo meo volui conmuniri. Datum et Actum Anno Domini Milleſimo. ducenteſimo. ſexageſimo. octavo. feria ſexta proxima poſt diem Paſche. (13 Apr.)

Anno MCCLXIX. in die B. Clementis (23. Nov.) Eberhardus Epiſcopus Wormatienſis cum Wernhero ſculteto ſcabinis et univerſis civibus in Lautemburg, datis

datis profitetur litteris, quod Heinricus dictus Wackerphil miles communicata manu Agnetis uxoris ſuæ nec non hœredum ſuorum præſentium accedente conſenſu, duo maldra tritici, ſuper molendino in Lautemburg ſito, ſuper quod tanti reſpectum noſcebatur habere, monaſterio Schönaugienſi in feſto Sancti Michahelis Archangeli ſingulis annis in perpetuum contulit præſentanda, ut ex eis Conventui ibidem ſolatium, quale melius poterit fieri, procuretur. Hoc adjecto, ut ſi cuipiam hœredum ſuorum poſt obitum ſuum præhabito deliberationis tempore una quindena, præfatos redditus duorum maldrorum tritici redimere placuerit, pretium redemptionis XIII. hallenſium libras apponat vel appendat et liberam redimendi habeat facultatem; atque eædem libræ memorato conventui ſimiliter in ſolatium ordinentur. p. 257.

Anno MCCLXX. menſe Januario Nobiles de Steinahe, de Helmeſtat, de Muren dedêre teſtimonium, quod Gerhardus de Horemberg et Gerdrudis ipſius conjunx bona ſua ſita apud Wattenheim *) monaſterio Schonaugienſi libe-

raliter contulerint, jure proprietatis in perpetuum poſſidenda· Gerhardo dein mortuo hæredes donationem prædictam renovando bona memorata in dominium monaſterii transtulerunt. p. 259.

*) Prope Biblis.

Anno MCCLXXII. quarta feria poſt Dominicam *Invocavit* (16. Mart.) Godefridus Senior de Eppinſtein et Elyſa ejus collateralis bona ſua in Mittelenliederbach Schonaugienſibus contulerunt. p. 260.

XLII.

Qualiter relicta Streiphonis et filius ſuus renunciarunt juri ſuo, quod videbantur habere de quibusdam bonis in Scarra, Sunthoven et Geroldesheim. 1272.)

E. Dei gratia Wormatienſis Epiſcopus. Noverint univerſi preſentium inſpectores, quod V. relicta bone memorie Streiphonis et Cunradus filius ejus, conſiderantes inſigne virtutis eſſe indicium, caris ſuis fidem ſervare poſt mortem, pro remedio animarum dicti Streiphonis filii ſui quondam Friderici nec non pro ſalute propria procuranda univerſa

verſa

verſa bona ſua ſita in terminis villarum Scharre, Sunthoven et Geroldesheim communicata manu et unanimi voluntate contulerunt monaſterio Schonaugienſi, ita tamen, quod jam dictum monaſterium ſingulis annis octo maldra ſiliginis et quatuor agnos eisdem V. et C. filio ſuo ad tempora vite ipſorum perſolvere teneatur ac poſt mortem amborum libere et abſolute poſſideat dicta bona pleno jure, heredibus eorundem V. et nati ejus nullum in eis jus aut reſpectum aliquatenus habituris. Hujus rei teſtes ſunt Philippus Eccleſie ſancti Andree dictus de Eiſche, Wackerphil milites. Reinoldus dictus de Lautenburg cives Wormat. et alii quam plurimi fide digni. Verum quod hec geſta ſunt rite et ſollempniter coram nobis, nos ad petitionem tam predictorum V. vidue et nati ſui quam Cellerarii et aliorum fratrum Schonaugienſium preſens ſcriptum ex inde confectum ſigillo noſtro fecimus communiri in teſtimonium et memoriam premiſſorum. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. LXX°. ſecundo, undecimo Kalend. Maji. (21. Apr.)

XLIII.

De quinquaginta caſeis dandis de quibusdam agris et paſcuis in Huſen. (1272.)

Ego Eberhardus de Erenburg notum facio Univerſis has litteras inſpecturis, me ab Abbate et Conventu monaſterii Schonaugienſis quinquaginta caſeos comparaſſe equales illis caſeis, quos dicti Abbas et Conventus Burcgravio in Starckenburc de curia in Scharren ſolvere conſueverunt, quos caſeos fratres curie memorate michi et meis heredibus in perpetuum annis ſingulis preſentabunt, ita tamen, quod ſi forte caſu vel impedimento aliquo contingente caſeos ipſos perſolvere non valebunt, ego et mei heredes acceptabimus ab eisdem fratribus pro quolibet caſeo ſex hallenſes, pro quibus caſeis dedi monaſterio prenotato XVI. jugera agri conſulcanea ſita in loco qui Huſerberg appellatur communicata manu dilecte conjugis mee Jutte jure proprietatis perpetuo poſſidenda, accedente ad hoc filii mei Cunradi conſenſu voluntario et expreſſo, de quibus bonis plenam fratribus memoratis warandiam facie-

Digitized by Google

faciemus tollendo ipſis omne impedimentum, ſi quod forte ratione mei et heredum meorum fratribus prelibatis contingeret ſuboriri, quo minus gaudere poſſent dictorum bonorum poſſeſſione pacifica et quieta, nec ipſi fratres eosdem caſeos michi vel meis heredibus ſolvere tenebuntur, niſi impedimentum et obſtaculum hujusmodi deponamus. Preterea ut apud fratres predictos mei et uxoris mee et filii mei memoria habeatur, conceſſimus et licentiavimus eisdem paſcua noſtra in terminis ville noſtre Huſen, ad paſcendum in eis et pellendum animalia ſua cum animalibus aliorum hominum, qui inibi nutriuntur. Hujus rei teſtes ſunt Hezelo Cantor Eccleſie Sancti Martini Wormat. Wernherus notarius ejusdem civitatis Wormat. ejusdem Eccleſie Canonicus, Johannes de Waddenheim milites, Henricus Magiſter de Scarra, Walterus dictus hirſclumpe, emicho Germanus ipſius fratres Schonaugienſes et quam plures alii fide digni. In teſtimonium itaque predictorum ſigillum meum una cum ſigillo C. nati noſtri preſentibus eſt appenſum. Acta ſunt

hec anno Domini M°. CC°. LXX°. ſecundo in Aſſumptionis craſtino Virginis glorioſe. (16. Aug.)

Anno MCCLXXIII. VII. Idus Septembris (7. Sept.) Ludewicus Comes Palatinus Reni, Dux Bawariæ Hertwico et Cunrado militibus de Helmſtat indulſit, quod bona ſua in Scharre, quæ feudali ab eo titulo poſſidebant, Eccleſiæ in Schönaugia vendiderunt. Pro hoc conſenſu adhibito curias ſuas in Helmſtat unam et alteram in Duſſenheim è converſo tradiderunt titulo proprietatis perpetuo poſſidendas. p. 261.

Anno MCCLXXIV. in craſtino Viti martiris (16. Jun.) publicè profeſſi ſunt Manſionarii in Sickenheim, quod nihil juris habeant in agris dictis diz Roht ſitis amme Rorheimer wege underme Santbühle monaſterio Schonaugienſi adpertinentibus. . . p. 262.

LXIV.

Lutgardis et Gertrudis contulerunt nobis quatuor manſus in villa Grizheim. (1273.)

Ego Soror Luitgardis de Franckenvort tenore preſentium publicè profiteor et

et proteſtor, quod propter ſalutem anime mee et parentum meorum Hartliebi videlicet braxatoris et Luicgardis contuli pure propter Deum Eccleſie Schonaugienſi bona mea ſita in villa Griesheim videlicet curiam unam et tres manſos cum uno jugere pratorum poſt obitum meum perpetuo pacifice poſſidenda et ut etiam predictorum parentum meorum et Ludewici fratris mei bone memorie in ipſa eccleſia annis ſingulis memoria ſollempniter celebretur, ego Gertrudis cognata predicte Luicgardis profiteor me etiam contuliſſe predicte Eccleſie propter Deum manſum unum in ipſa villa Griesheim poſt mortem meam in perpetuum poſſidendum, ut etiam annuatim in vigilia beati Johannis Baptiſte dies anniverſariorum parentum meorum ſcilicet Cunradi et Hirmengardis devote in ipſa eccleſia peragatur. In quorum omnium teſtimonium et debitam firmitatem preſentes litteras ſigillis honorabilium virorum Domini Decani et Cantoris eccleſie Franckenfordenſis petivimus communiri. Actum Anno Domini M°. CC°. LXX°. III°. Kal. Marcii. (1. Mart.)

XLV.

Super bonis militis Bientrieme de Alceia ſitis in Scarra. (1273.)

Ludewicus Dei gratia Comes Palatinus Reni Dux Bawarie litteris preſentibus recognoſcimus et teſtamur, Heinricum militem dictum Bintrime de Alzeia fidelem noſtrum in noſtrum conſtitutum preſencia noſtro prius ad hoc accedente conſenſu ſuum Theutonice dictum Bintrienſchuck, quod in terminis Scharren noſtri diſtrictus habet ſive habebat, paſcua ſive prata ſua et ſimiliter ſuum haû qui in inſula ſive aûwa conventus et fratrum Schonaugienſis monaſterii ſita habent, que omnia idem Heinricus a nobis in feodo optinet, Abbati et Conventui predicti monaſterii Schonaugienſis conceſſiſſe et locaſſe ſuis heredibus perpetuo poſſidenda pro IIII. libris hallenſ. et decem caſeis ſingulis annis dicto Heinrico vel ſuis heredibus infra Pentecoſten et feſtum beati Johannis Baptiſte ab ipſo conventu ſolvendis et aſſignandis. Qui caſei ſi haberi non poterunt vel minus valuerint, quam ſolid. hallenſ. quilibet eorum, fratres ſolid. hallenſ. pro quolibet caſeo da-

dabunt ipſi Heinrico, quem ſolidum ipſe Heinricns acceptabit et erit illo contentus, quas IIII. libras cum caſeis predictis vel pro quolibet eorum ſolid. ſi dicti fratres infra terminos predictos ſingulis annis non ſolverint, ut eſt dictum, ex tunc ipſe Heinricus ſine contradictione ad ſe reſumet bona predicta et de ipſis ordinabit ſecundum quod ſue placitum fuerit voluntati et nichilominus cenſum ipſi fratres, qui de illo anno, in quo negligentes fuerint, ipſi Heinrico ſolvendus fuerat, perſolvent eidem de bonis predictis, conceſſis fratribus memoratis. In cujus rei perhennem memoriam preſentem litteram tam ad peticionem predictorum conventus videlicet et Heinrici noſtro ſigillo duximus roborandam. Datum et Actum Anno Domini Mill°. ducenteſimo LXX° tercio. XVIII. Kalend. July. (14. Jun.)

XLVI.

Legantur XV. ß denariorum Colonienſium in Frankenſurt monaſterio Schonaugienſi. (1275.)

Ne ea, que aguntur, oblivioni tradantur, neceſſe ut ſcripturarum memoriis commendentur. Clareat ergo tam

Digitized by Google

preſentibus quam futuris, quod ego Gotſchalcus dictus de Kuningiſtein capellànus, rector capelle beati Nicolai apud Franc̊kinfort quindecim ſolidos denariorum colon. qui mihi nomine cenſus annuatim debentur de domo et Curia Cunradi dicti medenmecheres in oppido Franckinvord, quorum medietas in decollatione beati Johannis Baptiſte, reliqua verò pars in Nativitate Domini ſolvitur, lego et confero dilectis in Xpo Abbati et Conventui de Schonaugia ord. ciſterc. Worm. thyoceſ. pro anime mee remedio et ſalute ita, quod jam liberam poſſeſſionem ſubintrent et perpetuo pro me orent. Teſtes Dominus Heinricus Decanus, Chriſtianus Cantor, Hartmannùs cuſtos, Johannes ſcolaſticus, Wigandus de Fulda, Johannes de Moguntia, Albertus de Karben Canonicus Franc̊kenfordienſis, Johannes dictus Golſtein et quam plures alii fide digni. Ut autem hec mea collacio firma et inviolabiliter obſervetur, preſens ſcriptum inde confectum mei Decani et Cantoris predictorum ſigillorum munimine roboravi Actum Anno Domini Mill°. CC°. LXX°. V°. Sabbato ante Letare. (23. Mart.)

XLVII.

Digitized by Google

XLVII.

Teſtamentum vel Ordinacio Teſtamenti Eliſabeth de Oſthoven ſuper bonis ſuis in Opphauwen. (1275.)

Eberhardus Dei gratia Wormat. Epiſcopus, conſules et univerſi cives civitatis ejusdem. Noverint univerſi preſentium inſpectores, quod Elizabeth relicta Friderici de Oſthoven noſtra concivis in noſtra preſencia conſtituta pure et ſimpliciter legavit et donavit hec que ſubſcripta ſunt. Poſt mortem ſuam pro remedio anime ipſius, Friderici mariti ſui bone memorie et Philmanni filii ſui ac pro remedio animarum ipſius Elizabeth et Friderici filii ſui, videlicet conventui de Schonaugia in anniverſariis Friderici mariti ſui et Philmanni filii ſui feſto Georgy quinque libras hallenſ. ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die beati Georgy annuatim. Item legavit eidem conventui eodem die beati Georgy in eiſdem anniverſariis quinque libras hallenſium annuatim, que dabuntur pro caſeis ipſo die. Item legavit eidem Conventui in anniverſario Friderici filii ſui, videlicet in craſtino omnium anima-

marum quinque libras hallenſ. annuatim ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die. Item legavit eidem Conventui in anniverſario ipſius Elizabeth quinque libras hallenſ. annuatim ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die. Item legavit eidem conventui ad communem utilitatem cibariorum ſuorum annis ſingulis in Purificatione beate virginis tres libras hallenſ. et duo maldra tritici. Item legavit eidem Conventui in Annuntiatione beate virginis tres libras hallenſ. et duo maldra tritici annuatim ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die. Item legavit eidem conventui in Aſſumptione beate Virginis tres libras hallenſ. et duo maldra tritici annuatim ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die. Item legavit eidem conventui in Nativitate beate Virginis tres libras hallenſ. et duo maldra tritici annuatim ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die, pro quibus ipſe conventus anniverſarium Volzonis filii ipſius Elizabeth in vigilia Nativitatis beate Virginis annis ſingulis celebrabit. Item legavit eidem conventui

tui

Digitized by Google

tui ad domum infirmorum, que vulgariter ſiechus dicitur, tria maldra tritici annuatim, quorum unum maldrum dabitur in anniverſariis Friderici mariti ſui et Philmanni filii ſui feſto Georgii. Aliud maldrum dabitur in anniverſario Friderici filii ſui in craſtino omnium animarum, tertium maldrum dabitur annuatim in anniverſario ipſius Elizabeth ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die. Item legavit eidem conventui ad hoſpitale ibidem, in quo ſuſcipiuntur peregrini et advene, tria maldra ſiliginis annuatim, quorum unum dabitur in Anniverſariis dicti Friderici mariti ſui et Philmanni filii ſui, aliud maldrum dabitur in anniverſario Friderici filii ſui, tertium maldrum dabitur in anniverſario ipſius Elizabeth annuatim ad communem utilitatem cibariorum ſuorum. Item legavit eidem conventui pro lampade ardente noctibus et diebus ante altare beate Virginis, quod eſt ſummum altare quindecim uncias annuatim hallenſium. Item legavit eidem conventui decem ſolidos hallenſium annuatim, pro quibus idem conventus ceram, thus et alia in pre-

predictis anniverſariis comparabit. Item legavit eidem conventui ad candelam, que incenditur et tenetur in elevatione hoſtie ad ſummum altare decem uncias hallenſium annuatim. Item legavit eidem conventui viginti maldra ſiliginis annuatim infra Aſſumptionem et Nativitatem beate Virginis aſſignanda preſbitero, qui cottidie celebret miſſam in capella curie, quam idem conventus habet in civitate Wormatienſi. Item legavit Dominis Majoris Eccleſie in Wormatia in anniverſariis Friderici filii ſui in craſtino omninm animarum decem ſolidos hallenſ. annuatim. Item legavit quindecim uncias hallenſ. annuatim, que cedent feſto Georgii, quarum quinque uncie dabuntur Dominabus de Nunnenmünſter et quinque uncie dabuntur Dominabus de orto beate Virginis et alie quinque uncie dabuntur ſororibus penitentibus in monte ſancti Andree ad Coquinam ipſarum. Item legavit Abbatiſſe et Conventui monialium in Weidahs ad ſubſidium veſtium Giſele filie Methildis ſororis ſue decem ſolidos hallenſ. annuatim feſto Georgii pro remedio dictorum Friderici et Eliſa-

ſabeth animarum et pro remedio anime Friderici filii ſui, poſt mortem vero dicte Giſele cedent iidem decem ſolidi Abbatiſſe et conventui prenotatis ad communem utilitatem cibariorum ſuorum, pro quibus idem conventus ipſorum, anniverſaria celebrabit. Hec bona preſcripta, que legavit dicta Elizabeth poſt mortem ſuam cedent de omnibus bonis ſuis que habet in villis Odenkeim et Opphawen, que comparavit erga predictum conventum de Sconaugia, prout ſita ſunt. excepta hoſterawen et excepta curia quam habet in villa Odenkeim memorata. Item legavit ſuper eadem curia in Odenkeim duo maldra tritici feſto Georgii (23. Apr.) annuatim, quorum unum maldrum dabitur ad opus Eccleſie in Opphawin, pro quibus duobus maldris anniverſaria dicte Elizabeth et Friderici mariti ſui in eiſdem Eccleſiis annuatim in feſto Georgii devote ac ſollempniter peragentur. Item fratribus minoribus in Wormatia ſuper eadem curia maldrum tritici feſto Georgii annuatim. Item eodem legavit fratribus Predicatoribus in Wormatia ſuper eadem curia maldrum tritici an-

annuatim. Item legavit Clerico celebranti in cripta parochie ſancti Johannis in Wormatia ad altare beatorum Symonis et Jude decem ſolidos hallenſ. annuatim in feſto beati Georgy, qui dabuntur de Domo dicte Elizabeth, quam habet ante portam ſancti Andree pro remedio animarum ipſius Elizabeth, Friderici mariti ſui ac Friderici filii ſui. Item legavit ſuper eadem domo feſto Georgii ad novum hoſpitale quinque ſolidos hallenſ. annuatim pauperibus et infirmis ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die. Item legavit ſuper eadem domo quinque ſolidos hallenſ. leproſis in feſto Georgii annuatim ad communem utilitatem cibariorum ſuorum ipſo die. Item dicta Eliſabeth legavit pro remedio animarum ipſius Eliſabeth Friderici mariti ſui ac Friderici filii ſui presbitero celebranti in capella curie dicti conventus Schonaugienſis quam habet in civitate Wormatienſi, cui preſbitero viginti maldra ſiliginis antea legaverat, carratam vini annuatim ſuper vineis ſuis, quas habet ante civitatem Ubematienſem in loco qui dicitur handal, hec omnia que legavit dicta Eliza-

zabeth pro remedio animarum ipſius Elizabeth, Friderici mariti ſui aç filiorum ſuorum predictorum rata et firma manebunt, ſi ſepedicta Eliſabeth ipſa bona ultra neceſſitatem corporis potuerit obtinere et quamdiu vixerit dicta Eliſabeth poſſidebit ipſa bona pacifice et quiete et poteſtatem habebit de ipſis bonis faciendi quidquid ſue placuerit voluntati, ne aliquis eidem actionem aliquam movere debet ſuper ipſis bonis vel ipſam ad juramentum compellere, ſi neceſſitatis imminente articulo antedicta Eliſabeth prefata bona non potuerit obtinere. Teſtes qui interfuerunt hij ſunt: Henricus et Gerhardus fratres Camerarii. Gozzo de Moro. Gerbodo de Moro. Sigelo de Wachenheim milites. Wernherus retro ſedem monetariorum, Heinricus Richeri, Heinricus cippure, Heinzo rufus, Wernherus Amelle, Richelmannus Marcgravii. Edeluuinus de Zweimbucken conſules et alii quam plures. In hujus itaque pie ordinationis et teſtamenti robur ac teſtimonium ſigillum noſtri Eberhardi Wormat. Epiſcopi predicti et ſigillum Civitatis noſtre Wormatienſis preſentibus

Digitized by Google

bus ſunt appenſa. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. LXX°. quinto ſexta feria proxima ante diem Palmarum (5. Apr.)

Anno MCCLXXVII. Ebelinus de Kirweiler Miles, de Lautemburg vendidit Abbati et conventui monaſterii Schonaugienſis II. libras hallenſ. et cappones IIII. cenſuales, ſi uſque ad octavam B. Martini non ſoluti fuerint, curia cum cenſibus et agri ad Fratres Schönaugienſes absque ſtrepitu judicii devolventur. p. 263. In vigilia Palmarum hujus anni Gerhardus dictus Hirzesberch Magiſter Domorum et Fratrum Ordinis militiæ domus Theutonicæ per Alemaniam conſtitutus . . . . annuos reditus vendiderunt Schönaugienſibus. Quodſi cenſus in termino non ſolvantur, component XX denarios Wormatienſes. In ſecunda totidem denarios component; in tertia et ultima quindena iterum XX denarios component et elapſo uno die poſt quindenas prædictas, tres, . . . p. 264.

XLVIIII.

Digitized by Google

XLVIII.

De bonis comparatis erga fratres domus Theutonice in Winnenheim. (1277.)

Nos frater Wernherus commendator Fratrum Domus Theutonice in Hornecken et frater ſigelo commendator Domus in Winneheim Ordinis ejusdem litteris preſentibus profitemur, nos nomine noſtro ac fratrum noſtrorum juſte vendicionis titulo vendidiſſe Abbati et Conventui de Schonaugia omnia bona, que nos ac fratres noſtri habebamus in villa et in terminis ville ſunthoven ſita, ſive illa bona ſita ſint in curiis, in domibus, areis, agris, pratis, cenſibus, ortis vel qualitercunque ſita ſint, omni eo jure, quo nos ac fratres ipſa bona poſſedimus, ab ipſo conventu in perpetuum poſſidenda pro octoginta libris et quinque libris hallenſium nobis ab ipſo conventu ſolutis ac in uſus fratrum noſtrorum converſis prout nobis videbatur melius expedire. Omne etiam jus quod in dictis bonis habebamus, in ipſum conventum transtulimus ſimpliciter et de plano. Si vero aliquis propinquior heres predictorum bonorum

venerit ac ipſa bona ſolvere voluerit, centum libras hallenſ. pro ipſis bonis prefato conventui aſſignabit et ex tunc eadem bona eodem jure, quo ipſa poſſedimus, in perpetuum poſſidebit. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram ſigillis noſtris duximns communitam. Datum et Actum Anno Domini Milleſimo. CC°. LXX°. ſeptimo. In vigilia Palmarum. (20. Mart.)

XLIX.

*Judices Wormatienſes Henricum de Auguſta conſtituunt commiſſarium in cauſa capellæ in Wiſsloch *) controverſa.* (1277.)

Judices Wormatienſes diſcreto viro Magiſtro Henrico de Auguſta advocato Canonico ſancti Germanni ſpiren. ſalutem in Domino. Cauſam, que inter Bertoldum de Witelshoven Notarium Domini Ducis Bawarie ex una parte et Magiſtrum Marcium ſancti Germani predicti Canonicum ex altera vertitur, coram nobis ad peticionem parcium et de conſenſu eorundem vobis committimus ſecundum jus vel amicitiam auctoritate noſtra terminandam ita; quod quid-

quidquid feceritis in cauſa predicta, auctoritate noſtra factum eſſe dinoſcatur, ratum et gratum habentes, quicquid per vos ſecundum juſticiam vel amiciciam in ipſa cauſa inter partes fuerit ordinatum. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram cum conſenſu partium fecimus ſigillari. Datum et Actum Anno Domini M°. CC°. LXXVII°. Dominica *Miſericordia.* (11. Apr.)

*) Tribus horis ab Heidelbergâ Elſenzgoviam et Craichgoviam verſus, dum itur Bruchſaliam, diſtat.

L.

Capella in Wiſsloch adjudicata Bertoldo Notario. (1277.)

Reverendis Dominis ſuis judicibus Worm. H. de Auguſta Canonicus ſancti Germani ſpiren. reverenciam et honorem. Veſtre conſtet honeſtati, quod cauſam, que inter diſcretos viros B. de Witelshoven Notarium Domini Ducis Bawarie ex una et Magiſtrum Marcium ex parte altera vertebatur ſuper capella in Wizzenloch mihi a vobis de voluntate partium commiſſa, auctoritate mihi tradita aſſumptis religioſis et juris pe-

peritis fretus ſuper hoc eorum conſilio canonice terminavi eandemque capellam dicto B. Notario ſentencialiter adjudicavi, quia ipſum inveni habuiſſe pinguius jus in eadem. Cum itaque hujusmodi arbitrium hinc inde a partibus ſit receptum et eidem arbitrio ſtent per omnia ipſe partes, prefatum B. notarium veſtre duxi providencie transmittendum ſupplicans una cum ipſo et pro ipſo, quatinus cum Dominus Prepoſitus nove Domus loci Archi-Diaconus vobis indiſtincte et totaliter commiſerit ipſam cauſam ſepedictum B. de capella predicta dignemini inveſtire, quia ſigillum Prepoſiti penes me non habeo, ſigillum judicum ſpirenſium apponi preſentibus procuravi. Nos judices ſpiren. ad preces Magiſtri H. predicti ſigillum noſtrum preſentibus duximus apponendum. Datum ſpire Anno Domini M°. CC°. LXXVII°. feria VI. proxima poſt *Miſericordia Domini.* (16. Apr.) XVI. Kal. Maji hujus anni Heinricus de Auguſta a Judicio curiæ Wormatienſis arbiter conſtitutus litis decurſum ſuper capella in Wisloch inter Bertoldum de Wittelshoven et H. Merzonem agitatam re-

refert, praeſertim quod arbitrium in ſe receperit ac a partibus juramentum fuerit praeſtitum, quod ordinationi et arbitrio per omnia ſtabunt; dein cognitis cauſæ meritis invenerit, dictum Bertoldum in capella præfata Wizzenloch pinguis jus habere, communicato tandem ſuper hoc jurisperitorum conſilio et Religioſorum; propter bonum pacis et concordiæ auctoritate ſibi tradita ſtatuerit et pronuntiaverit arbitrando, quod ſæpedictus Bertoldus capellam debet ſine lite et ſine contradictione qualibet poſſidere . . . p. 266.

LI.

Marcius Scolaſticus S. Germani ſpiræ renuutiat omni juri ſuo in Capellam in Wiſsloch. (1277.)

Reverendis Dominis judicibus Wormat. Magiſter Marcius Scolaſticus Eccleſie ſancti Germani ſpirenſis reverenciam et honorem. Quia actioni ſeu juri quod in Capella Wizzenloch mihi competiit vel competere videbatur, ad arbitrium Magiſtri H. de Auguſta mei concanonici arbitri ſuper hoc auctoritate veſtra deputati, renunciavi ſimpli-

citer et preciſe et renuncio per preſentes, veſtre ſupplico honeſtati, quatinus cum eidem B. dicta capella ſit per ſentenciam adjudicata, ab arbitro antedicto, eum de dicta capella dignemini inveſtire. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum duxi preſentibus apponendum. Actum et Datum ſpire Anno Domini M°. CC°. LXXVII°. Kalendis Maj. (1. Maj.)

LII.

Confirmatio Apoſtolica ſuper capella in Wizzenloch Schonaugienſibus conceſſa. (1377.)

Nycholaus *) Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filiis Abbati et Conventui Monaſteriide Sconaugia Ciſterc. Ord. Worm. Dyoc. ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod juſtum eſt et honeſtum tam, vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, utid per ſollicitudinem Officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane peticio veſtra nobis exhibita continebat, quod dilectus filius Lodewicus comes Palatinus Reni tunc verus patronus capelle in Wizzenloch Wormat.

Dioec.

Dioec. cupiens terrena pro celeſtibus et tranſitoria pro eternis ſalubri commercio commutare, jus patronatus capelle predicte ad eum ſpectans de conſenſu Venerabilis fratris noſtri Epiſcopi et Capituli Wormat. Eccleſie vobis et monaſterio veſtro conceſſit intuitu pietatis, prout in patentibus litteris inde confectis Epiſcopi et Comitis predictorum ſigillis munitis plenius dicitur contineri. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc ab eodem Comite pie ac provide factum eſt et in alterius prejudicium non redundat, ratum et gratum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus et preſentis ſcripti patrocinio communimus, Nulli ergo hominnm liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apoſtolorum ejus noverit incurſurum. Datum apud veterem nonas ſeptembris. Pontificatus noſtri anno primo. (5. Sept.)

*) Hujus nominis III.

Digitized by Google

Die BB. Criſpini et Criſpiniani (25. Oct.) hujus anni conſules et univerſi cives Wormatienſes vendiderunt Abbati et Conventui Eccleſiæ, Schönaugienſis pro duabus libris hallenſium Almeindam, quam ædificiis ſuis attraxerant, inchoantem ab horto Gunzonis, uſque ad lapideam ſtegam civitatis dictæ in muro locatam, ita quod ſtegam ipſam non debent ullis ædificiis, neque aſcenſum neque deſcenſum aliqualiter occupare, ſed via civitati ad illam patebit. . . . . p. 269.

LIII.

Archipresbiter in Etingen Bertoldum præſentare jubetur ad Capellam in Wiſsloch. (1277.)

Judices Wormatienſes Diſcreto viro Archipresbitero in Etingen ſalutem in Domino. Cum nos honorabilem virum Bertoldum Domini Ducis Bawarie notarium de Capella in Wizzenloch ſibi auctoritate noſtra per ſentenciam adjudicata inveſtiverimus, mandamus vobis quatinus ipſum auctoritate et nomine noſtro preſentetis ad eandem injungentes parrochialibus ibidem ſub pena

ex

excommunicationis firmiter, ut ſibi obedientiam tanquam vero predicte capelle paſtori debitam exhibeant et conſuetam. Datum et Actum Anno Domini M°. CC°. LXXVII.

LIV.

Hoſpitale in Franchenvort dat nobis octo octalia ſiliginis. (1278.)

Nos Eppertus plebanus et volmarus proviſores ceterique fratres hoſpitalis ſancti ſpiritus in Franckenvort univerſis preſentes litteras audituris et viſuris cupimus eſſe notum, quod nos viris religioſis Domino Abbati et Conventui de Sconaugia de bonis quondam Godefridi dicti de Biſchovesheim et Benigne uxoris ejus apud Biſchovesheim ſitis dare debemus ſingulis annis perpetuo VIII. octalia Franckenfordenſis menſure et illa preſentare debemus perpetuo dictis Domino Abbati et conventui ceſſante quolibet obſtaculo in domum ſuam Franckenfordienſem infra aſſumptionem et Nativitatem beate virginis ſub noſtris periculis et expenſis, dantes ipſis preſentes litteras, noſtro et civitatis Frankenfordienſis ſigil-

lis

lis communitas in teſtimonium ſuper eo. Datum Anno Domini Mill°. CC°. LXX°. VIII°. in Craſtino. beati Valentini Martyris. (15. Febr.)

In Nativitate B. Virginis Mariæ (8. Sept.) hujus anni Erpertus plebanus Franckenfordienſis in litigio ſuper novem jugeribus agrorum in Weſtenhols, quod vertebatur inter monaſterium Schönaugienſe et Adelheidim relictam Wigandi de Aldenſtat, arbiter conſtitutus vocatis ſacerdotibuis ſuis juratis percepit, quod audiverint et interfuerint, quando praefatus Wigandus in lecto mortis praedicta jugera de conſenſu Adelheidis dedit monaſterio ſupradicto poſt mortem dictæ uxoris poſſidenda. . . . p. 270.

Anno MCCLXXIX. (29. Nov.) in vigilia S. Andreæ Apoſtoli Johannes de Hirzberg miles et Hirmendrudis conjux ſua vendunt Schonaugienſibus pro X libris hallenſ. quoddam pratum ſitum in terminis villæ Virnheim juxta fluvium Altach; habens ab uno latere viam quæ dicitur Reitweg et ex alio fluvium ſupradictum, à tertio autem latere conſulcaneum Reimbotoni de Lautemburg. . . . p. 272.

Anno

Anno MCCLXXX. (31. Maji.) in craſtino Aſcenſionis Domini Nobiles de Magenheim renuntiant omni exactioni, angariis, ſervitiis et juribus quibuscunque, quæ Advocatis debentur vel deberi videntur de curia Schönaugienſium et bonis ad eam pertinentibus in Hentſchuesheim. . . . p. 273.

LV.

Paſtor Eccleſie Virnheimenſis elocat Abbati et Conventui in Schonau omnes proventus Eccleſiæ et Capellæ in Virnheim ſub certa forma. (1280.)

Notum ſit omnibus preſentes litteras conſpecturis, quod ego Johannes Canonicus Eccleſie Franckenfordenſis et paſtor Eccleſie de Virnheim locavi religioſis viris Domino Abbati et Conventui de Sconaugia ſub hac forma, ſcilicet, quod de ipſa Eccleſia et capella ibidem de dote et omnibus memorate Eccleſie pertinentiis tenebuntur vicarium expedire et ſuper hoc XXX maldra ſiliginis et decem maldra tritici feſto ſancti Michaelis, Philippi et Jacobi duas libras hallenſ. et duas ſimiliter feſto

feſto ſancti Martini, Johannis quoque Baptiſte XXX. caſeos valentes XXX denarios Lauriſſenſes michi in Francken-vorth annis ſingulis aſſignabunt. Preterea de ſolucione Kathedratici tenebuntur totaliter reſpondere. Et ego de decima, ſi qua forte de dicta Eccleſia impoſterum fuerit requiſita, ſi quid vero aliud de procurationibus ſive aliis oneribus ſepedicte Eccleſię impoſitum fuerit, tam prefati Abbas et Conventus quam Ego inſimul perſolvemus. In cujus Rei teſtimonium et robur preſentes litteras dedimus eis ſigilli mei munimine roboratas. Actum et Datum Anno Domini Milleſimo CC°. LXXX°. Martini Epiſcopi.

LVI.

Wernherus Archiep. Mog. confirmat compoſitionem inter Schonaugienſes et nobiles de Schowenburg ſuper exactionibus in terminis ville Hentſchusheim initam. (1281.)

Wernherus Dei gratia ſancte Maguntine ſedis Archi-Epiſcopus ſacri Imperii per Germaniam Archi Cancellarius dilectis in Xpo Abbati et Conven-

veutui de Schonowe ordin. ciſterc. Wormat. Dyoc. ſalutem in Domino. Juſtis petencium deſideriis facilem nos decet prebere conſenſum et vota, que a racionis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Sane exhibita nobis veſtra peticio continebat, quod cum olim inter vos ex una parte et nobiles de Schowenburg videlicet Symonem et Bertoldum Germanum ipſius ex altera queſtio fuiſſet exorta ſuper exactionibus, quas dicti nobiles bonis veſtris et poſſeſſionibus ſitis in terminis ville Hentſchusheim imponebant, tandem inter partes amicabilis compoſicio intervenit, prout in litteris inde confectis plenius dicitur contineri; quare petiviſtis a nobis, ut eandem compoſicionem dignaremur noſtre confirmacionis munimine roborari, nos igitur veſtris ſupplicationibus benigno concurrentes aſſenſu, compoſicionem ſive ordinacionem ipſam, ſicut ſine pravitate provide facta eſt et ab utraque parte ſponte recepta, in nomine Domini confirmamus et preſentis ſcripti patrocinio communimus. Datum Maguncie Anno Domini Mill. CC°. LXXXI. XVII. Kal. Januarii. (16. Dec.)

Extat in Act. Acad. Palat. T. VI. pag. 302.

Digitized by Google

LVII.

Hermannus dictus Bunre in Babenhuſen contulit nobis V ½ jugera vinearum in villa Hurſten. (1281.)

Nos Hermannus dictus Bunre de Babenhuſen miles et jutta collateralis ſua tenore preſentium recognoſcimus et ad univerſorum Xpi fidelium noticiam cupimus pervenire, quod nos communicata manu religioſis viris Abbati et Conventui monaſterii in Schonaugia ordin. ciſterc. quinque jugera cum dimidio vinearum nobis jure proprio attinentia ſita in villa Hurſte *) in remedium animarum noſtrarum ac parentum noſtrorum omnium, cum ambo deceſſerimus, contulimus omni jure, quo nos ea poſſedimus, huc uſque libere poſſidenda. In cujus rei teſtimonium et firmitatem perpetuam ſigillo prudentis viri preſentes litteras eis damus roboratas. Et nos ſcultetus predictus ad peticionem dictorum Hermanni et jutthe, et quia donacionem predictam vidimus et audivimus, ſigillum noſtrum preſentibus appendendum duximus in teſtimonium premiſſorum. Facta eſt autem

autem hec donatio apud Babenhuſen Anno Domini Millo. CC°. octuageſimo primo.

Anno MCCLXXXII. idibus Martii (15. Mart.) Heinricus ſcultetus, ſcabini, conſules et univerſi cives Franckenfordenſes litteris teſtati ſunt, quod Conventus de Schonaugia erga Wernherum de Roſpach et Rudolfum Generum ejus cives dictæ civitatis horreum curiam et domum juxta Rudolfum dictum de Grünenberg emerunt pro VI. talentis levium denariorum numeratis. . . . p. 274.

VII. Idus Decembris (7. Dec.) hujus anni Ludovicus Comes Palatinus Reni, Dux Bawariæ accedente conſilio et conſenſu Mechtildis uxoris Rudolfi Rom. Regis filiæ et filiorum ſuorum coenobio in Schönaugia confert varia bona in Scharra; Sunthoven et Geroldsheim . . . p. 275.

*) Hörſtein è dextrâ Mogani parte, ubi Generoſum creſcit vinum ſupra Hanoviam. Vid. Archidiaconatus Collegiatæ S. Petri Aſchaffenburgenſis in noſtrâ Diœceſi in Archidiaconatus diſtincta. Comment. IV.

Digitized by Google

LVIII.

Varia Legata Wormatiæ facta pro Sconaugienſibus. (1283.)

Judices Wormatienſes, Noverint univerſi preſencium conſpectores, quod Giſela relicta Hartliebi concivis noſtra nec non Giſelela et Eliſabeth filie ejusdem in noſtra preſentia conſtitute pure et ſimpliciter legaverunt et donaverunt hec que ſubſcripta ſunt, poſt mortem ſuam pro remedio animarum ſuarum dicti Hartliebi et Ortliebi, Giſele junioris mariti omniumque progenitorum eorundem Conventui de Sconaugia. In primis curiam ſuam in vico Hagenonis cum omnibus attinentiis ſuis ad undecim libras hallenſium in cenſu annuo eſtimatam. Idem quamdam domum inter Gades ad duas libras hallenſium annis ſingulis eſtimatam. Item quamdam apothecam ad quinque ſolidos annuatim. Item ante portam piſcium duas areas ad unam libram hallenſium annuatim. Idem apud novum pontem ad quinque ſolidos annuatim. Item duas uncias et dimidiam quas Magiſter civium quicumque pro tempore fuerit in die beati Martini annis ſingulis aſſignabit.

bit. Idem in dem Kratzwinckel duas areas ad ſeptem ſolidos annuatim. Item quamdam curiam apnd Nunnen Münſter ad duas libras annis ſingulis eſtimatam. Item ibidem curiam anteriorem annuatim ad duas libras et dimidiam eſtimatam. Item in pephelnkeim ad novem uncias annuatim. Sunt in villa Weſthoven quinque jugera et dimidium vinearum et in Hocheim vinearum IIIIor. jugera et quartale. Que omnia ad duodecim talenta in cenſu annuo computantur. Item inter civitatem Wormatienſem et Pedernsheim octoginta et VII. jugera terre arabilis ſita, que ſine defectu ad centum maldra ſiliginis annis ſingulis computantur, tali tamen condicione interpoſita, quod de penſione prenotate annone dabuntur Heinrico filio junioris Giſelle et Ortliebi viginti et quinque maldra ſiliginis annuatim tantum temporibus vite ſue, que tamen nequaquam recipiet niſi poſt mortem ſenioris Giſele et ambarum filiarum premiſſarum, ita ut poſt ejus obitum ad prefatum monaſterium revertantur. Item poſt earumdem dabuntur obitum Methildi nutrici ſue ad vitam ſuam quin-

 que

que maldra ſiliginis annuatim et duabus Beginis dictis Margeretis unum maldrum annuatim. Simili modo duabus filiabus Methildis videlicet Katherine et Agneti unum maldrum ad vitam ſuam ita tamen, quod una priorum ſive poſteriorum, ſi altera premortua fuerit, quoad vixerit, poſſidebit. Hec autem omnia ſingulis expirantibus prout ſupra expreſſum eſt, poſt obitum dictarum Giſele et filiarum ſuarum ad uſus Conventus Sconaugienſis libere revertentur, ſed quia de preſcriptis agris quibusdam perſonis alibi expreſſis ad XX et quinque maldra ſiliginis inſuper et XIII. uncias et dimidiam in cenſu annuo perſolvuntur. Nec non et duo maldra tritici monacho in Capella Sconaugienſi Wormatie celebranti à predictis Giſela et filiabus ſuis perpetualiter ordinata de preſcriptis centum maldris tantum ad hoc ſupererunt ſeptuaginta et quatuor maldra cunctis expirantibus, qui ſuperius expreſſi, annuam penſionem recipient ad vitam ſuam, que ſeptuaginta quatuor maldra pro decem et novem libris hallenſium in cenſu annuo eſtimantur, item legaverunt et donaverunt

verunt eidem conventui jugera pratorum ad viginti et duo Mannesmaden, que pro VI. libris hallenſium ſunt in cenſu annuo eſtimata. Hec ſingula et univerſa predicta Giſela et filia ejusdem Giſela et Eliſabeth in noſtra preſentia legaverit et donaverit libere et abſolute Conventui in Sconaugia poſt mortem omnium predictarum eſtimata in cenſu annuo ad quinquaginta et ſeptem et dimidiam libram hallenſium et inſuper duo maldra tritici monacho in curia Wormatienſi celebranti, verbis talibus interjectis, quod poſt mortem earundem prenominata bona Camerario qui pro tempore fuerit, vel alii perſone monaſterii, ſi tamen illud decreverint diſpenſanda libere committentur; ordinantes taliter et legantes de cenſu ſupra notato XX et VI. libras videlicet et ſingulis ſeptimanis in feria ſecunda decem ſolidos in conventum pro piſcibus expediantur. Item legaverunt de preſcripta ſumma pecunie annuatim in Sabbatis ſingulis IIII. temporum triginta ſolidos omni occaſione remota infirmario aſſignandos pro ſolatio infirmorum. Item tociens tres ſolidos eisdem

ſabbatis hoſpitali ibidem. Item legaverunt et ordinaverunt viginti talenta pro quinque anniverſariis Hartliebi, Ortliebi, et predictarum Giſele et filiarum ſuarum Giſele et Eliſabeth in Sconaugia celebrandis annis ſingulis in hunc modum, quod ſingulis earum decedentibus ſucceſſivè ſuperſtites vel ſuperſtes tam in die ſepulture quam in ſingulis anniverſariis cum tribus libris hallenſium conventui miniſtrabit, poſt obitum vero ultime prelibatus diſpenſator qui pro tempore proviſor fuerit dictorum bonorum ſimiliter tria talenta circa exequias ultime Conventui miniſtrabit et poſtmodum in ſingulis anniverſariis cum quatuor libris videlicet quinquies in anno cum viginti talentis hallenſium quinque ſervitia procurabit, ita tamen cum penſiones ſupra notate annone videlicet triginta duo maldra univerſis ac ſingulis decedentibus dicto vacaverint monaſterio et cum plenum cenſum ſuperius expreſſum habere potuerit de eisdem, medio vero tempore ſicut et ſemper deinceps ſecundum quod proventus annis ſingulis extenderint, miniſtrabit. Sane ſi eorundem

dem bonorum cenſus ſive proventus aliquo annorum ſupra eſtimatam taxationem accreverint, idem proviſor ſequenti die poſt anniverſarium cujuslibet predictorum ad nutum Prioris et conventus de ſuper habundantibus ſolacium procurabit. Item ordinarunt de curia anteriori apud Nunnen Münſter ſuperius expreſſa unam libram hallenſium ad altare Sancte Katherine Sconaugie pro lampadis lumine in perpetuum procurando. Item decem ſolidos de eadem curia ad lampadem in curia Sconaugienſi Wormatie in perpetuum exornandum. Verum etiam ſi forte quod abſit, conventum dictum cauſa penurie diſpargi contigerit, permittunt prefate Giſela et filie ſue, ut bona et redditus ſupradicti in ſolucionem debitorum eorumdem medio tempore convertantur, donec conventus ad propria revocetur, quo revocato iterum ipſa bona eidem ſervire incipiant ſicut ante. Tactum eſt etiam quod dicta Giſela ſenior ipſa bona quamdiu vixerit poſſidebit pacifice et quiete et poteſtatem habebit de ipſis bonis faciendi quidquid ſue placuerit voluntati, nec aliquis ei-

dem actionem movere debet vel eam ad juramentum compellere, ſi neceſſitate cogente ipſa bona non potuerit obtinere vel ſi aliter diſpoſuerit ordinare. Filie vero ſi mortem matris advixerint, dicta bona immobilia non divident, ſed ſub obſervacione continencie ſimul et communiter ſe recipient in uno domicilio pariter conviventes, ipſa bona quoad vixerint et per neceſſitatem corporis obtinere potuerint, libere poſſidentes, ſi vero ambabus adhuc viventibus aliquam poſſeſſiunculam in ſuprema neceſſitate easdem vendere contigerit, ipſam neceſſitatem evidentem et legitimam declarabunt, ipſam tamen ordinationem poſt mortem matris non poterunt retractare. Porro ultima filiarum altera decedente nichil vendere poterit ne de hujusmodi tractatibus immutare, quodſi aliquid talium attemptaverit, dictum monaſterium reclamabit, ante omnia autem mater ſupplicat, ut ad ejus conniventiam per pacis et Karitatis concordantiam memores verborum ſuorum invicem perſeverent. Ut autem omnia ſupradicta ſcilicet ſervitia ebdomadarum, quinque anniverſaria

Digitized by Google

ſaria cum lampadibus ſuperius expreſſis, duo maldra tritici, ſex talenta pro infirmis, duodecim ſolidos pro hoſpitali cum ceteris ordinationibus ſupra ſcriptis firmius obſerventur, penam talem annuentibus Venerabili Abbate Wernhero et Conventu duxerunt provide annectendam, ut cum ſingulis annis Decano et Capitulo Majoris Eccleſie Wormat. duo maldra tritici pro remedio animarum Harteliebi et Giſele predictorum fuerint aſſignata, ipſe Decanus et Capitulum ſingulis annis de obſervacione predictorum inquiſitionem facient diligentem et ſi aliquid ex premiſſis invenerint non ſervatum, dictus Abbas et Conventus eisdem aſſignare tenebuntur tantum quantum de premiſſis ſubtractum fuerit vel neglectum. Si vero de bonis et redditibus ſepedictis diſtractum fuerit aut quocunque modo a dicto monaſterio alienatum, preſcripto Majori Capitulo in tanta pecunie ſumma quantam bona vendita valuerint, erunt protinus obligati. Hujus rei teſtes ſunt Dominus Lampertus Officialis curie Wormat. Venerabilis Abbas Wernherus Monaſterii de Sco-

 naugia

naugia, Fr. Herdegenus, Fr. Jacobus Camerarius, et Fr. Johannes dictus Amella monachi de Sconaugia. Item Reinoldus civis Wormat. et alii quam plures. In teſtimonium autem omnium premiſſorum et robur ſigillum noſtrum una cum ſigillo jam dicti Abbatis de Sconaugia preſentibus ſunt appenſa. Acta ſunt hec anno Domini M°. CC°. LXXX°. III°. Fabiani et Sebaſtiani. (20. Jan.)

Tertio idus Februarii (11. Febr.) modò dicti anni Gerhardus de Eppenſtein Archidiaconus Trevirenſis (poſtea Archipræſul Moguntinus) donationem curie in Mittel- liederbach à parentibus ſuis Godefrido et Eliſabeta (Gente Naſſovia) Eccleſiæ Schönaugienſi olim factam confirmat. . . . p. 277.

LIX.

Wernherus Archiep. Mog. Decano S. Marie ad gradus Mog. committit, ne permittat Schonaugienſes ultra tenorem compoſitionis cum Schowenburgenſibus initæ Gravari. (1283.)

Wernherus Dei gratia ſancte Maguntine ſedis Archi Epiſcopus ſacri Imperii

rii per Germaniam Archi Cancellarius dilecto in Xpo Decano ſancte Marie ad gradus Magunt. ſalutem in Domino. Cum ſicut dilecti in Xpo Abbas et Conventus monaſterii de Sconawe Ord. Ciſterc. Wormat. Dyoc. ſua nobis peticione monſtrarunt, olim inter eos ex parte una et nobiles viros videlicet ſymonem et Bertholdum fratres de Schowenburg ex altera ſuper exactionibus, quas iidem Nobiles bonis et poſſeſſionibus dicti monaſterii ſitis in terminis ville Hentſchuhesheim imponebant et nitebantur indebite extorquere, queſtio fuiſſet exorta et tandem amicabilis compoſicio intervenerit ſuper queſtione hujusmodi inter partes, quam nos auctoritate Metropolitica duximus confirmandam prout in litteris ſuper eo confectis plenius continetur, diſcretioni tue committimus et mandamus, quatinus dictos Abbatem et Conventum per exactiones hujusmodi contra confirmacionis noſtre tenorem non permittas à quoquam indebite moleſtari, moleſtatores hujusmodi per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. Datum apud Aſchaphenburg Anno Domini Millò. CC°. LXXXIII. X°. Kalendas Aprilis. (23. Mart.)

Digitized by Google

Feria III. ante feſtum B. Martini proxima hujus anni (9. Nov.) Giſela quondam Hartliebi civis Wormatienſis relicta publicè in clauſtro Wormatienſi ratificat teſtamentum ſuum ſigillis Officialis curiæ Wormatienſis et Abbatis monaſterii Schönaugienſis ſigillatum ratificat, conſenſu filiorum ſuorum accedente. . . . p. 278.

An. MCCLXXXIIII. in craſtino Converſionis S. Pauli (26. Jan.) Hartmannus miles dictus de Lautemburg et Felicia uxor ipſius vendiderunt Schönaugienſibus molendinum in Lautemburg ſitum pro CC libris hallenſ. p. 279.

LX.

Wigandus civis de Fridberg dictus de Limpurg locat nobis domum ad antiquum Martinum (1284.)

Ego Wigandus dictus de Limpurg civis Fridebergenſis recognos, coquod domum meam ſitam in Franckenfort apud curiam monachorum Ciſtercienſium in Schonaugia vicinam capelle ſancti Georgii de conſenſu Jacobi ſculteti Moguntinenſis, Baldungi civium Magunt. Wicgeri civis Franckenfordenſis, An-

Angeli civis Gruenbergenſis meorum Generorum et uxorum eorumdem, nec non Fridberti dicti juvenis, Wigandi, Johannis, meorum natorum et Berhthe meæ natæ locavi jure hereditario eisdem monachis ſcilicet Abbati et Conventui in Schonaugia in perpetuum poſſidendam, ita ſane quod mihi vel meis heredibus pro annuo cenſu in feſto beati Martini viginti quinque ſolidos Colon. annis ſingulis inde ſolvent. In cujus rei teſtimonium meum ſigillum preſentibus eſt appenſum. Datum Anno Domini Mill°. LXXX°. IIII°. Kalendis Maji. (1. Maji.)

In die B. Johannis ante portam latinam hujus anni (6. Maji.) Jacobus ſcultetus Moguntinus conſenſit in locationem ædis ſuæ ad antiquum ſuevum Francofordiæ juxta curiam monaſterii Schönaugienſis ad antiquum Martinum vulgariter appellatam à Wigando de Limpurg factam . . . p. 281.

LXI.

LXI.

Hezzelonis Cantoris Eccleſie ſancti Martini Wormatienſis (1284.)

Nos Willehelmus Decanus totumque Capitulum Eccleſie ſancti Martini Wormat. tenore preſencium proteſtamur, quod quondam Hezzelo Cantor Eccleſie noſtre pro remedio anime patrui ſui Hezzelonis quondam Eccleſie noſtre Decani, nec non Hezzelonis filii ſororis ſue in duobus anniverſariis eorundem duo ſervitia ad refectionem conventus Schonaugienſis miniſtranda annis ſingulis ordinavit, ita quod panis triticeus, vinum et piſces in utroque ſervitio provideantur conventui memorato, quorum primum eſt in craſtino circumciſionis Domini, ſecundum vero quarta die poſt feſtum beati Galli occurrit, predictorum Defunctorum in ipſo conventu memoria celebris habeatur. Conſtituit etiam dictus Cantor tercium ſervicium ad modum aliorum duorum prefato conventui annis ſingulis miniſtrandum, In ſui ipſius anniverſario ac ſui memomoriam ſollempnem ab eodem conventu perhenniter et indelebiliter peragendam ad horum amminiſtrationem ſervicio-

ciorum bona hec ſubſcripta idem Cantor contulit et deputavit, videlicet medietatem bonorum ſuorum in villa Wachenheim et in terminis ipſius ville ſitorum tam in agris quam in pratis bonorum eorundem de quibus viginti maldra ſiliginis perſolvuntur. Item decem maldra ſiliginis perpetua que predicto Cantori Abbas et Conventus Schonaugienſis annuatim de Curia Scarra ſolvere tenebantur. Item duo jugera vinearum contigua ſita apud Doſſenheim in loco qui dicitur Leimgruben nec non tria quartalia vinearum contigua ſita in Schriesheim. Item triginta ſolidos Wormatienſis monete in cenſibus annuis, qui ſolvuntur de areis infraſcriptis; de area ſita ante portam ſancti Martini, que dicitur ad rotam, tres uncias et dimidiam Wormatienſis monete, qui cadunt in feſto ſancti Johannis Baptiſte. Item de piſtrino Heinrici Waſichonis, quod ſitum eſt ex oppoſito curie civium Wormatienſium, octo uncias et dimidiam Wormatienſis monete, Item de area dicta Cunradi de cornu decem ſolidos Wormacienſis monete, qui cadunt in feſto beati Martini. Verum ne conventus memo-

memoratus ullo predictorum ſerviciorum proceſſu temporis defraudetur, dicti Abbas et Conventus ſe ad talem penam per ſuas litteras obligarunt, quod quocienscunque aliquod ipſorum ſerviciorum in parte vel in toto ſubtractum fuerit vel neglectum; tociens Eccleſie noſtre in decem maldris ſiliginis teneantur, ita tamen, quod ſi forte bona in Wattenheim prenotata et vinee predicte Grandine vel exercitu ſterilitate vel aliquo quocunque caſu infortunii taliter deteriorata fuerint, quod ratione illius deteriorationis dicta ſervitia minus commode potuerint miniſtrari, tunc pro quantitate dampni bonis eisdem parcetur ad tempus et ad ſubſidium ſervitiorum tam moderate accipiatur de proventibus eorundem, quod valeant tollerare et ſic de bonis ipſis et cenſibus ac redditibus nominatis miniſtrabitur conventui in Anniverſariis antedictis prout melius et honeſtius potuerit miniſtrari. Hoc adjecto, quod bona predicta et redditus nulla racione vendere licebit, Abbati et Conventui ſepedictis. Que ſi vendere attemptaverit, ipſe contractus irritus ſit et nullum robur optineat

neat firmitatis. Immo ipſa bona cum redditibus memoratis mox ipſo facto ad noſtram Eccleſiam libere devolvantur. In hujus itaque ordinationis et obligationis teſtimonium et evidentiam pleniorem preſens ſcriptum ſigillo Eccleſie noſtre una cum ſigillo Abbatis Schonaugienſis fecimus communiri. Datum Anno Domini Mill°. CC°. LXXX°. quarto. Sabbato infra Octavam Aſcenſionis Domini. (20. Maji.)

LXII.

Eloqant Schonaugienſes aream ſuam in civitate ſpirenſi. (1285.)

Ego Bertoldus dictus Lupus clericus tenore preſencium recognoſco et conſtare cupio univerſis, quod Domnus Abbas et Conventus Sconaugienſis mihi aream ſuam orto eorum in fine contiguam, que in oppoſitum reſpicit domum meam pro cenſu ſex hallenſium annis ſingulis ipſis per me ſolvendis in feſto Martini ad dies vite mei ſolius tantum conceſſerunt poſſidendam ita videlicet' ut qualecunque edificium ſuper predictam aream conſtruxero, non obſtante quolibet jure vel etiam conſue-

 tudine

Digitized by Google

tudine ſeu contradictione, que meis heredibus ſuper hoc competere poſſet, poſt mortem meam predicta area cum edificiis quibuscunque ſuperedificatis ad ipſos Abbatem et Conventum redibit cum effectu libere et quiete. Nolunt tamen ex nunc aut in preſtura feneſtrarum aut tectorum honere, que michi videantur, participare, murum orti ipſorum eos aliquatenus in edificiis meis pregravari ſine eorum libito voluntatis. Longitudinem vero XXXVIII. pedum cum dimidio recipit et continet area antedicta. Scilicet pars in fine muri eorum, qui in longum verſus judeos ſe extenderit, debet a recto, ſi quod per me fuerit in partem judeorum ad pedem et dimidium ſtillare ſeu diffundere curſum aque. In cujus rei teſtimonium ſuper predictis omnibus obſervandis, ad quod me et meos heredes preſentibus obligo, Do Domino Abbati et Conventui predictis has litteras civium ſpirenſium ſigillo apponi hijs rogavi et meo ſigillo communitas. Datum Anno Domini Milleſimo CC°. LXXX°. quinto. In die beati Pollicarpi. (26. Jan.)

In craſtino Nativitatis B. Virginis (9. Sept.) ejusdem anni Beatrix Magiſtra et Conventus in Hagene varia bona in Geroldsheim, Scharren et Sunthoven Schonaugienſibus jure hæreditario concedunt pro annuis XV. maldris ſiliginis . . . p. 282.

XIII. Kal. Maji. (19. Apr.) Ludovicus Dux Bawariæ Coenobio Schonaugienſi incorporat Capellam in Wiſsloch, ut tamen eam debite officient. p. 283.

In vigilia Jacobi Apoſtoli (24. Jul.) Simon Epiſcopus Wormatienſis ad univerſorum refert notitiam, quod legata monaſterio Schonaugienſi bona in teſtamento Giſelæ (vid. an. 1283.) ad Cautelam denuo tradita et aſſignata fuerint eidem. p. 284.

In vigilia Aſcenſionis Domini (2. Maji.) Conventus Schönaugienſis obtinuit bona in Wibelingen ſub juramento ſolemni coram tota vicinia terræ, Pergeheim videlicet, Epilnheim, Sickenheim, Blanckſtat, Waltdorff, Kircheim et Rorbach . . . p. 286.

Digitized by Google

LXIII.

Reſignatio Hartberti bonorum in Heidelberg. (1287.)

Nos ſcultetus ac Univerſi conſules Heidelbergenſes tenore preſencium recognoſcimus publice preſencium publice proteſtantes, quod conſtituti coram nobis Harbertus civis Heidelbergenſis et Siburg conjuges omnibus bonis quondam Heinrici dicti Sahſinheimer ac ejusdem Siburgis tunc collateralis ſue, que ambobus viventibus et ſuper exiſtentibus in antidotum animarum ſuarum communicata manu contulerunt Eccleſie Schonaugienſi, renuntiaverunt pie et liberaliter in hunc modum, ut liceret eis unum jurnalem vineti de eisdem bonis ſitum zi Rodeldingen vendere ad ipſorum indigentias et ulterius nullam haberent de prenarratis bonis vendendi, minuendi, alterandi et quoquo modo commutandi omni modis facultatem ſed ipſa Siburge mortua eadem bona prout invenientur jam dicte Schonaugienſi eccleſie cedent, ſine quolibet obſtaculo libere et ſolute. hoc adjecto, quod ſi medio tempore prefata Siburge ſuperſtite dictis bonis et precipue vineis debita

bita cultura exhibita non fuerit, ad nos ſive noſtra revocandi ſeu reducendi adducendique habebimus liberam poteſtatem. In cujus rei evidentiam et ad petitionem amborum communem Hartberti et Siburgis conjugum preſentem cedulam noſtri ſigilli munimine roboravimus, eisdem Abbati et conventui roborandam. Anno Domini M°. CC°. LXXX. ſeptimo vigilia Petri et Pauli Apoſtolorum. (28. Jun.)

In vigilia Mathei Apoſtoli (20. Sept.) Cunradus de Stralenber recognoſcit in Reverſalibus, quod Abbas et Conventus Schönaugienſis hortum ſuum ante portam oppidi Schriesheim ipſi conceſſerint ad vitæ ſuæ tempora. p. 289.

An. MCCLXXXVIII. die B. Vincentii Martiris (22. Jan.) Heinricus miles de Lichtenſtein abrenuntiat vexationi, quam fecit Schonaugienſi monaſterio in ſuis bonis in Opphaue. p. 289.

LXIV.

Super dimidiam curiam in Oſthoven cum vineis, agris et pratis ibidem. (1288.)

Conſules et univerſi cives Wormatienſes conſtare volumus preſencium

inſpectoribus univerſis, quod conſtitutus in noſtra preſentia Johannes natus quondam Heinrici Zippure noſter conciyis recognovit et publice eſt confeſſus, quod ipſe pro remedio anime ſue Donavit, dedit et legavit religioſis viris Abbati et Conventui in Sconaugia ciſterc. Ord. dimidiam curiam in Oſthoven, *) novem jugera vinearum, agros et prata ibidem ad ipſum ſpectantia, de quibus agris quolibet anno ſolvuntur quinquaginta maldra ſiliginis, tali condicione, quod Heilmannus Zippure frater ſuus noſter concivis uſufructum et utilitatem in predictis bonis recipiet et percipiet tantum ad tempora vite ſue, qui Heilmannus dicta bona recipit ab ipſo Abbate et conventu pro annuo cenſu videlicet pro libra cere ſolvenda ipſis quovis anno in feſto Purificationis beate virginis, et poſt ejus obitum prefata bona ad ipſum Abbatem et conventum ſine contradictione qualibet revertentur. Preter ea confeſſus eſt ipſe Johannes, quod curiam ſuam in vico lane ſitam que fuit patris ſui H. Zippur prout ſita eſt cum domibus circumjacentibus cum omni jure

et

et titulo prout ad ipſum pervenit et ſicut nunc eſt, et cum onere cenſus qui ex ea ſolvi conſuevit, Heilmanno fratri ſuo prefato dedit et donavit cum bonis infra ſcriptis. Dedit itaque Ortum ſuper Weide qui fuit avie ſue et dicebatur Herbordi raparii. Item duas domos et horreum in Crazwinckel quarum domorum ipſe Joannes unam conceſſit hereditarie pro XI. uncijs hallenſium. Item duas libras hallenſium et IIII uncias cenſuales, quas habebat ſuper civitate noſtra titulo proprietatis contulit in perpetuum, ſalvo tamen nobis, quod eas poſſumus liberare. Item dedit eidem decem ſolidos hallenſium et duos capones cenſuales de duabus domibus ante portam judeorum in Holzgazzen qui cenſus ſolvuntur libere ſine dampno. Item partem pratorum ipſum contingentem. Item de tali cenſu, quem ipſe Johannes una cum Wernhero Holtmundi et Domina Lengen habet ſuper curia Prepoſiti Witeburgenſis partem ſuam et omnem actionem ſimiliter que competit ſibi de cenſu neglecto. Hec bona preſcripta preter bona in Oſthoven, que Abbati et Conventui predictis cedent

 pre-

preciſe poſt mortem ipſius Heilmanni et preter duas libras et IIII. uncias, quas ipſe Heilmannus ex nunc titulo proprietatis poſſidet, ipſe Johannes fratri ſuo Heilmanno contulit et donavit tali ratione et conditione quod ipſe Heilmannus ea habebit et poſſidebit ad tempus vite ſue, qui ſi ſine pueris deceſſerit et liberos non genuerit, bona predicta ad ipſum Johannem revertentur, ita quod ea donare poterit cuicumque voluerit de licentia Domini Abbatis Sconaugienſis. Si vero ipſe Heilmannus liberos ſive pueros genuerit et illi pueri alios genuerint, bona ſupradicta apud eos hereditaria remanebunt. Si autem pueri Heilmanni pueros ſeu liberos non genuerint, iterum bona predicta ad ipſum Johannem ut prius devolventur et de eis faciet de Conſilio et licentia Domini Abbatis quod viderit expedire. Ceterum ante omnia Heilmannus ſuper curia prefata habet centum libras hallenſium quandocunque voluerit et pro illis cenſus poterit vendere, ſuper curia memorata ad eſtimationem centum librarum dictarum liberationem etiam dictarum de cenſibus

tali-

talibus prefatus Johannes conferet cui placet. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram ſigillo civitatis noſtre ad preces ipſius Johannis dedimus fideliter roboratam. Datum et Actum Anno Domini M°. CC°. octogeſimo octavo. Die Sanctorum Tiburtii et Valeriani. (14. Apr.)

*) Infra Hernsheim.

LXV.

De pratis juxta Rorheim. (1288.)

Ego Cunradus nobilis de Stralimberg conſtare cupio preſencium inſpectoribus, quod vidua quondam relicta Godefridi militis dicti de Peffelenkeim et liberi ſui omne jus quod habeant in pratis prope Rorheim ſitis, que dicuntur geteilte, nec non cenſus, quosdam annuos, videlicet maldrum ſiliginis, ſolidum hallenſ. et Caponem ſolvendos per Heinricum dictum Rufum et ſuos heredes, de ſedecim jugeribus agri campeſtris ſitis prope Lautenburg in feſto ſancti Martini ſingulis annis vendiderunt Domino Abbati et Conventui Schonaugienſi pro undecim libris hallenſ. minus

minus quinque ſolidis Hallenſ. pecunia jam ſoluta ac eadem prata accedente conſenſu Heinrici de Doſſinheim, cui debet cenſus de pratis jam dictis coram Cunrado ſculteto de Etingen dicto Karge Burcardo et Genero ſuo de Waltdorf, Mendewino et filio ipſius, ſcabinis ibidem, Walthero Cellario, Wernardo ſyndico, Heinrico Magiſtro in Schriesheim et Swicgero in Grensheim fratribus Schonaugienſibus. Cenſus vero predictos preſentibus Burcardo Knutel, Goſſone tuſchelin, Markelone caupone, Goſſone de Walſtat et Engelmanno in oppido Lautenburg communicata manu ſollempniter reſignarunt promiſſa per ipſos Abbati et conventui memoratis, dictorum cenſuum warandia debita et conſueta. Verum quia dicta vidua cum ſuis liberis rem ſic geſtam recognovit publice in mea preſencia, preſens ſcriptum ad peticionem ipſorum ſigillo meo in premiſſorum teſtimonium roboravi. Datum Anno Domini M°. CC°. LXXX°. octavo. VIII°. Kalend. Maji. (24. Apr.)

Feria IIII. poſt Udalrici proxima (7. Jul.) Conradus Northeimer et alii confeſſi ſunt in judicio judicum Wormatienſium,

ſium, ſe IIII. jurnales vinearum et dimidium ſitos in terminis villæ Oſthoven Abbati et Conventui Eccleſiæ Schönaugienſis pro LII. libris hallenſ. vendidiſſe . . . p. 292.

LXVI.

Zeiſsolfus civis Wormat. vendit Schonaugienſibus unum Zweiteil vinee in Bergeheim. (1288.)

Magiſter civium, ſcultetus, ſcabini et univerſitas civium in Heidelberc noſſe volumus omnes preſencium inſpectores, quod conſtitutus in noſtra preſencia Zeiſsolfus carnifex noſter concivis recognovit et confeſſus eſt ſe juſte vendicionis titulo et contractu vendidiſſe religioſis viris Abbati et Conventui Sconaugienſi unum Zweiteil vinee ſitum in terminis ville Bergeheim dictum Stralemberger pro XXIIII. libris hallenſium ſibi ſolutis et aſſignatis. Ijdem vero Dominus Abbas et Conventus ſpecialem gratiam et amicitiam predicto Zeiſsolfo facientes prefatum Zweiteil vinee ipſi conceſſerunt titulo locationis pro annuo cenſu videlicet pro media parte vini exinde provenientis ad vitam

tam

Digitized by Google

tam ejusdem tantum; quo defuncto predicto vinea pro eodem cenſu ad Eliſabeth filiam ſuam, quamdiu vixerit et poſt ejus mortem ad Ripoldum fratrem ipſius Elizabeth devolvetur, nichilque juris ſeu conductionis aliis eorum heredibus in predicta vinea relinquetur, ſed poſt eorum trium obitum dicti Abbas et Conventus poſſunt de eadem vinea tanquam de re propria ordinare et diſponere pro ſue libitu voluntatis, ſi verò aliquis trium dictorum dictam vineam male coluerit et negligenter curam ejus egerit, pro emendacione et melioracione neglecta pignorandi ipſos in autumpno in ipſa vinea dicti fratres habebunt liberam poteſtatem contradictioné qualibet non obſtante. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram ſigillo Civitatis noſtre dedimus roboratam ad preces Zeiſsolfi memorati. Actum Anno Domini M°. CC°. LXXX°. VIII°. die beati Jacobi Apoſtoli. (25. Jul.)

LXVII.

LXVII.

Schonaugienſes vendunt Alberto zu dem Phrumeboume XXV. libras hallenſium annuatim. (1289.)

Nos judices, conſules ac univerſi cives ſpirenſes tenore preſencium conſtare cupimus univerſis, quod humilis Abbas et Conventus Monaſterii Sconaugienſis Ciſterc. Ord. Wormat. Dyoc. ob eorum monaſterii utilitatem concorditer vendiderint Alberto dicto zu dem phrumeboume noſtro concivi et ſuis heredibus diviſim XXV. libras hallenſium annuatim et perpetuo in feſto beati Martini perſolvendas, quamlibet libram pro decem et octo libris, hac conditione adjecta quod quandocunque ijdem Abbas et Conventus dictam denariorum penſionem reemere voluerint et integram ſummam receptam pecunie prefato Alberto vel ſuis heredibus, qui pro tempore fuerint, reportaverint et aſſignaverint, quod ex tunc ab hujusmodi penſionis ſolucione ſint in perpetuum a dicto Alberto vel ejus heredibus penitus abſoluti; prout in inſtrumento publico ſuper hoc confecto plenius continetur. Unde ad peticionem par-

partium preſentem litteram noſtre civitatis ſigilli munimine roboratam Abbati et Conventui in evidens teſtimonium contulimus ſupradictis. Data et acta ſunt hec anno Domini M°. CC°. LXXX°. nono in die Barnabe Apoſtoli (11. Jun.)

Anno MCCXC. Gunradus de Erpach Pincerna Abbati et Conventui in Schönau cenſus in Burvelden, qui circa duas libras hallenſium æſtimantur, item de curia in Zuzembach IIII. maldra avenae, item ibidem unum maldrum ſiliginis et libram hallenſ. de curia jam dicta. Item de molendino in Lurbach X maldra ſiliginis et unam impinguationem, quæ dicitur Maſtunga vel X ſolidos hallenſ. Item de molendino in Schonowe XIII. uncias et unam impinguationem ſecundo anno vel X. ſolidos hallenſ. ſub conditione reluitionis donavit pro miniſtrando Conventui ſolatio. Si quid neglectum fuerit, id cedet hoſpitali in Heidelberg . . . p. 294.

LXVIII.

LXVIII.

Simon Epiſcopus Wormat. conſentit in donationem juris patronatus capellæ in Wizzenloch à Ludovico Comite Palatino Schonaugienſibus factam. (1291.)

In nomine Domini Amen. Symon Dei gratia Wormat. Epiſcopus, Decanus totumque Capitulum Ecclesie ejusdem. Laudabiles ac Deo placitas pijs locis ac Deo ſacratis factas traditiones ſi noſtro juvamine confovemus vel libertatis gratia ampliamus, id nobis ad eternam vitam feliciter optinendam liquido credimus profuturum. Hinc eſt quod dilecti nobis in Xpo Abbas et Conventus monaſterii Sconaugienſis noſtre dyoceſis Ciſterc. Ord. noſtram accedentes preſentiam nobis ſupplicarunt humiliter et devote, quod cum illuſtris vir Dominus Lodewicus Palatinus Comes Reni Dux Bawarie ob honorem Dei in remiſſionem ſuorum peccaminum ipſis conſiderata eorum neceſſitate multiplici capellam in Wizzenloch noſtre dyoc. cujus capelle ad ipſum pleno jure jus patronatus preſentacio ſeu collacio ſpectare dinoſcebatur, pure et ſimpliciter

citer contuliſſet, nos eidem collationi noſtrum conſenſum liberum et expreſſum adhibere et impendere dignaremur. Nos itaque juſtis petencium deſiderijs annuere cupientes eorum devotis precibus inclinati, prefatam collationem factam de capella jam dicta per illuſtrem virum Dominum Palatinum antedictum Abbati et Conventui prelibatis, gratam et ratam habentes preſentis ſcripti tenore unimus prefato monaſterio et perſonis ibidem Domino famulantibus in perpetuum ad eorum neceſſitatem et victum, noſtrum conſenſum liberum et voluntarium adhibendo, adeo quod Abbas et Conventus, qui pro tempore fuerint, de predicta capella tanquam ipſis pro victu et neceſſitate eorum unita faciant et diſponant, quod pro eorum commodo et utilitate magis viderint expedire noſtro et ſucceſſorum noſtrorum Wormacienſium Epiſcoporum ac Archidiaconi loci, qui pro tempore fuerint, in omnibus et per omnia jure ſalvo et quod dicta capella certis et conſuetis temporibus divinis obſequiis non fraudetur. In cujus noſtri conſenſus et unionis teſtimonium et perpetui

ro-

roboris firmitatem preſentem litteram ſigillorum noſtrorum munimine dedimus fideliter roboratam. Datum et Actum Anno Domini M°. CC°. nonageſimo primo. Die beate Gerdrudis virginis. (17. Mart.)

LXIX.

Monaſterio Schonau traduntur aliquæ vineæ in Türckheim. (1291.)

Nos judices Wormat. per preſens ſcriptum notum fieri volumus univerſis, quod Bertha filia quondam Symonis balneatoris civis Wormat. recognovit et publice confeſſa eſt in noſtra preſencia, ſe duo fruſta vinearum, que plus ſunt quam jugerum, ſita in terminis ville Durenkeim in valle Wachenheimenſium, quorum unum dicitur Schemel, alterum vero inferius adjacet Abbati et Conventui de Schonowe pro ſex libris hallenſium ſibi traditis et numeratis rite et legitime vendidiſſe, quas vineas tam dicta Berhta fratris ſui Cunradi et Giſele ſororis ipſius communicatis manibus tradidit coram Heinrico advocato in Durenkeim adhibita ſolempnitate debita et conſueta, transferens eas

O pleno

pleno jure in dominium monaſterii Sconaugienſis, proprietatis titulo et abſque omni precarie et exactionis onere, libere poſſidendas. Prefatus vero Abbas et Conventus dictas vineas conceſſerunt et locaverunt Volzoni filio Denſer jure hereditario poſſidendas, pro cenſu annuo videlicet X. ſolidis hallenſium in feſto ſancti Michaelis dictis Abbati et Conventui perſolvendo, quem cenſum ſi vel ipſe vel aliquis heredum ſuorum in poſſeſſionem dictarum vinearum ſuccedentium non perſolverit termino prenotato, penà ſecundum jus et conſuetudinem ville Durenkeim proinde debitam ſuſtinebit. Porro ſi forte impoſterum quisquam heredum dicte Berhte venditricis vinearum predictarum dictos Abbatem et Conventum in earumdem vinearum poſſeſſione preſumpſerit impedire ac preſcriptum reſcindere voluerit contractum rationabiliter celebratum, decem libras hallenſium dictis Abbati et Conventui pro ipſis vineis aſſignabit. Ad hujus itaque rei teſtimonium atque robur rogati a celebratoribus dicti contractus nec non locationis antedicte preſentem paginam ſigillo curie

rie Wormatienſis fecimus communiri. Actum et Datum Anno Domini M°. CC°. nonageſimo primo. Menſe Junio.

III. Kal. Aug. (30. Jul.) Simon Wormatienſis Epiſcopus monaſterii Schönaugienſis molendinum et curiam in Laudenburg, vinum et bladum, ac res alias quas ducere vel deducere, vendere aut emere continget, à vigiliis nocturnis faciendis, exactionis impenſa, precaria, theloneo et alio quovis onere eximit atque liberum pronuntiat. p. 295.

LXX.

Præpoſitus in Neuhauſen ratiſicat unionem juris patronatus capellæ in Wiſsloch Schonaugienſibus factam. (1292.)

Eberhardus de Stralemberg Prepoſitus Eccleſie Nuhuſen extra muros Wormat. dilectis, devotis et religioſis viris Abbati et Conventui in Sconauwe ſalutem et felicitatem conſequi ſempiternam. Religioſitatis veſtre debita obſervantia poſtulat et inducit, ut temporalibus vobis cooperemur ſubſidiis, quatinus tanto liberius divinis poſſitis proficere incre-

crementis. Hinc igitur donationem juris patronatus capelle in Wizzenloch in noſtro Archidiaconatu conſtitute veſtro monaſterio facte ab illuſtri Domino L. Duce Bawarie Comite Palatino Rheni, collationem quoque ejusdem capelle et unionem ejus factam per Reverendum patrem et Dominum Symonem quondam Wormat. Epiſcopum de conſenſu Decani et Capituli ſui, ut fructibus ejus pro veſtra ſuſtentatione uti poſſitis, tenore preſencium ratificamus et approbamus conſenſum pleniſſimum adhibendo, ſalvo jure noſtri Archidiaconatus debito et conſueto. In cujus rei teſtimonium et robur ſigillum noſtrum preſentibus duximus apponendum. Datum Anno Domini M°. CC°. XCII°. in craſtino Scolaſtice Virginis. (11. Febr.)

LXXI.

Oſthoven. De bonis venditis à Wernhero dicto Munkeshorn milite.
(1292.)

Judices Wormatienſes recognoſcimus per preſentes et ad noticiam tam preſentium quam futurorum volumus pervenire, quod Wernherus dictus Munxhorn

horn miles et Gerdrudis conjuges conſtituti in villa Oſthoven coram Cunrado de Lautemburg tabellione curie noſtre, quem ad hoc ſpecialiter rogari deſtinavimus et coram ſcabinis ville Oſthoven et militibus infraſcriptis recognoverunt et publice ſunt confeſſi, ſe manu communicata et pari voluntate et conſenſu vendidiſſe propter Urgentem neceſſitatem et evidentem eorum utilitatem Abbati et Conventui monaſterii in Sconaugia, bona ſua infra ſcripta videlicet, curiam ſuam quam inhabitant ibidem in villa Oſthoven ſitam cum piſtrino contiguo ipſi curie. Duo jugera orti cum decem jurnalibus vinearum adjacentibus ipſi curie juſto emptionis et vendicionis contractu, excluſis tamen duobus molendinis pro octoginta libris hallenſium ipſis conjugibus integraliter perſolutis et aſſignatis ab ipſis Abbate et conventu predictis proprietatis titulo imperpetuum poſſidenda. Denuo predicti conjuges Wernherus et Gerdrudis ſupradicta bona receperunt a prefatis Abbate et Conventu excolenda pro viginti maldris ſiliginis annis ſingulis ipſis Abbati et Conventui in ci-

civitatem Wormatienſem ante quamcunque domum voluerint, absque omni dampno ipſius monaſterii de Sconaugia infra duo feſta beate virginis Aſſumptionis et Nativitatis dictorum conjugum vel illius heredis, qui bona poſſidet, vectura, laboribus et expenſis, penſionis ſeu cenſus nomine imperpetuum aſſignandis et preſentandis eisdem, ita quod ipſa bona apud unum heredem perpetuo remanere debeant indiviſa et quod ad unum reſpectus de ſolvenda penſione habeatur. Hoc etiam de conſenſu dictorum conjugum eſt adjectum, quod ſi ipſi vel eorum heres quicumque, ad quem ipſa bona devolvuntur, negligentes fuerint in ſolutione penſionis predicte que ſolvi debet ſingulis annis ut premiſſum eſt, ſi a feſto ſancti Michaelis predictum ſolutionis terminum ſubſequente infra quindenam ſi dilacio ex gratia ſpeciali Abbatis et Conventus predictorum eſt conceſſa, non ſolvuntur dicta XX maldra, ex tunc predicta bona omnia libere et abſolute revertentur ad Abbatem et Conventum ſupradictos nec debent pro ipſis in judicio Oſthoven agere, ſi absque contra-

dic-

dictione qualibet de ipſis bonis ordinabunt et diſponent per omnia tanquam de ſuis proprijs poſſeſſionibus propter dicte penſionis negligentiam, prout ipſis melius videbitur expedire. Et quia ipſa Gerdrudis dixit hujusmodi ad dotem ſuam ſeu donationem propter nuptias pertinere, ipſa Gerdrudis renuntiavit eis preſtito corporali juramento et quod ea nunquam repetet per ſe vel per alium vel requiret in foro eccleſiaſtico vel civili, promiſit ſub eodem ſacramento, renuntiavit etiam omni legi et canoni de dote loquentibus, exceptioni doli mali, beneficio reſtitutionis in integrum, judicis officio, litteris Apoſtolicis, indulgentiis et breviter omni juris auxilio Canonici vel civilis, quod ſibi poſſet impoſterum quocumque caſu competere ad hujusmodi bona requirenda ſeu ad impediendum quo minus de ipſis bonis ſolvere deberet poſſeſſionem ſupradictam. Acta ſunt hec preſentibus Heinrico dicto Lamperther, Rudegero dicto Ring, et Rudegero dicto Gutthart, militibus. Sibotone filiaſtro Lamperther, Rudegero dicto Rinc, Wernhero dicto Sicheſtumph, Heilmanno

 dicto

dicto Furebacke, Hermanno dicto Phunder ſcabino, Bertholdo dicto Kraz et Heinrico filio Rudegeri armigeris, Hartdungo et Trukendo ſcabino, Willehelmo dicto bunne, Heinrico dicto Rineke, et Cunrado dicto Phrimmer civibus Wormatienſibus nec non plebano de Oſthoven. Profitemur etiam preſentem litteram eſſe duplicatam et ſigillo curie noſtre ſigillatam, ad peticionem partium predictarum. In cujus rei teſtimonium preſentem litteram ſigillo curie noſtre duximus roborandam. Datum et Actum Anno Domini M°. CC°. nonageſimo ſecundo. In die beati Michaelis Archangeli. (29. Sept.)

LXXII.

Monaſterium Neuburg vendit Schonaugienſibus duo maldra tritici annua. (1293.)

Nos Mehthildis Abbatiſſa totusque Conventus ſanctimonialium in Nuwenburg recognoſcimus et in ſcriptis hijs publice profitemur, nos propter urgentem neceſſitatem et evidentem utilitatem monaſterii noſtri juſto empcionis et vendicionis contractu vendidiſſe religioſis viris

viris Abbati et conventui de Sconaugia penſionem duorum maldrorum tritici pro decem libris hallenſ. nobis in numerata pecunia ſolutis et in utilitatem monaſterii noſtri converſis ipſis perpetuo ſolvendam annis ſingulis juſto ſolucionis annone termino, dictaque maldera promittimus in hijs ſcriptis eis de bonis noſtris, que in terminis ville Virneheim habere dinoſcimur, annis ſingulis ſub noſtris vectura laboribus et expenſis in Lautemburg preſentare ſub tali condicione ut tum deſignaverimus bona que ſituata ſunt infra marchas Ulvensheim et Virneheim, que valeant ſeu valere poſſint decem et octo libras hallenſ. et de quibus poſſint haberi perpetuo ſingulis annis duo maldra tritici, ſi ſcabini illius ville in cujus terminis bona ſita ſunt, ſub juramento duxerint ipſa bona valere decem et octo libras hallenſ. et duo maldra tritici ſingulis annis ex eisdem bonis haberi et poſſe perpetuo prefati Abbas et Conventus acceptare debent bona talia iis in predicto ſitu deſignata, ita quod ipſi ſint veri Domini bonorum eorumdem et quod pleno jure pertineant ad eosdem

 et

ſpecie et in genere que habuit vel unquam habere potuerit in futurum univerſa ac ſingula pro remedio anime ſue omniumque progenitorum ſuorum larga et libera manu contulit et legavit venerabili Domino Abbati et Conventui Sconaugienſis Eccleſie Ord. Ciſt. Wormat. Dyoc.; rurſusque eadem bona a dictis Abbate et Conventu recepit pro annuo cenſu quinque ſolidorum hallenſium perſolvendo ſingulis annis memoratis Abbati et Conventui in vigilia beati Martini temporibus vite ſue. Cum autem dicta Reilindis viam univerſe carnis ingreſſa fuerit, prenominata bona univerſa ac ſingula ad prefatos Abbatem ſcilicet et Conventum Eccleſie pretaxate libere revertentur et ab eisdem in ſumma pecunie probate monete ac publice juſte venditionis titulo redigentur. Quibus venditis et in ſummam pecunie redactis ſepedicti Abbas et Conventus ipſa pecunia perpetuos et annuos redditus comparabunt, qui in perpetuum in anniverſario ſupra memorate Reilindis prout ſe extendere poterunt, in ſollempne ſervitium memorato Conventui miniſtrandum de integro converten-

tentur. Habita in ipſo conventu ſepedicte Reilindis omniumque progenitorum ſuorum memoria ſpeciali. Hoc adjecto, quod cuidam clerico Wolframo nomine filio ſororis ſue ſi tamen poſt mortem ſuam ſuperſtes ei fuerit, ſex libras hallenſium aſſignabunt, ſola vice duntaxat, ac eidem Wolframo nichil magis in antea tenebuntur. In teſtimonium igitur premiſſorum, nos judices Wormat. ad petitionem dictorum Abbatis et Conventus ipſius quoque Reilindis ſigillum noſtrum preſentibus duximus appendendum. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. nonageſimo. tercio. Quarto Kalendas Maji. (28. Apr.)

LXXIV.

Relicta Arnoldi dicti filius monialis tradidit nobis quedam bona in terminis ville Hentſchusheim.

(1293.)

Judices Wormat. ad Univerſorum noticiam cupimus pervenire, quod Anno Domini M°. CC°. LXXXX°. III°. feria quarta poſt diem paſche proxima, (1. April.) conſtituta coram nobis in figura judicii Mergardis relicta quondam Arnol-

noldi filii Domine dicte Monialis tradidit, donavit et contulit pleno jure religioſis viris Abbati et Conventui de Schonaugia ciſterc. ord. bona infraſcripta videlicet duo jugera vinearum ſita in loco qui dicitur zu Zugelrit in terminis Heidelberg. Item unum juger vinearum zu Birgele in terminis ville Hentſchuhesheim. Item ibidem unum duale vinearum in loco qui dicitur zu Sant viten. Item ibidem unum juger vinearum in loco qui dicitur zu Veltmorgen. Item in eisdem terminis Hentſchuhesheim duo jugera vinearum unum in loco qui dicitur zu heldes morgen et unum in loco qui dicitur zu Wegelangen. Item unum juger ibidem vinearum in loco qui dicitur Heimesbach. Item in villa Hentſchuhesheim dimidium pomerium apud birgel cum dimidia domo in ipſa villa. Item quatuor libras hallenſium et quinque ſolidos nomine cenſus annui ſuper domo ſua in Heidelberg, quam quondam inhabitavit, ita quod poſt mortem dicte Mergardis omnia predicta bona ad prefatos Abbatem et Conventum jure proprietatis et Dominii pertineant et quod ipſa bona pacifice poſſidere

dere debent omni eo jure, quo prefatus Arnoldus et Mergardis ea diebus ſuis poſſiderunt. Hec imquam bona dicta Mergardis donatione inter vivos facta donavit liberaliter Monaſterio Schonaugienſi per Abbatem vel cui ipſe commiſerit, miniſtrantur et preſtabuntur hujusmodi ſervicia de vino Berſtratico quod creſcit in predictis vineis, pane triticeo et piſcibus ſicut poterunt pro triginta ſolidis hallenſium melius comparari conditis pipere competenter, quorum ſervitiorum unum miniſtratur ad preſens annis ſingulis in octava beati Martini, in qua dies Anniverſarii peragitur Arnoldi memorati. Aliud autem poſt mortem dicte Mergardis ſervicium debet in die palmarum annis ſingulis preſentari. Quociens autem neglecta fuerint hec ſervicia ſeu alterum eorum per negligentiam Abbatis vel ejus cui ipſe commiſerit, tantum quantum neglectum fuerit, hoſpitali in Heidelberg Abbas et Conventus predicti ſolvere tenebuntur. Confeſſa eſt etiam dicta Mergardis, quod ipſa et quondam Arnoldus ejus maritus dum viveret, bona hujusmodi monaſterio

Scho-

Digitized by Google

Schonaugienſi modis et condicionibus predictis in remedium et ſalutem animarum ſuarum contulerunt et manu communicata reſignant. Actum preſentibus Heinrico Amella prebendario Wormatienſi. Cunrado de Heidelberg tabellione. Anno et die prenotatis.

An. MCCXCIII. die SS. Joannis et Pauli (26. Jun.) Eberhardus de Stralenberg Præpoſitus Nuhuſenſis Archipresbitero in Wizzenloch commiſit, ut Schonaugienſes de capella ibidem à Ludovico Palatino collata inveſtiret. p. 296.

LXXV.

Cenſus in Wizzenloch quinque maldra ſiliginis et quindecim uncie. (1293.)

Judices Wormat. cunctis hoc ſcriptum intuentibus innoteſcat, quod viri religioſi Abbas et Conventus de Sconaugia ordinis Ciſterc. Wormatienſis Dioc. emerunt juſto empcionis titulo a Conrado dicto Schreckere et a ſororiis ejus Conrado et Wernhero et ab uxoribus eorundem Mehtilde atque Hildegarde quinque maldra ſiliginis annua et perpetua ſpirenſis menſure, ad quorum ſolutio-

lutionem dictis Abbati et Conventui faciendam aſſignaverunt agros ſubſcriptos ſitos in terminis opidi Wizzenloch, videlicet de agris iſtis proxime annotatis dimidium maldrum, de tribus jugeribus in Ruckeresloche. Item de duobus jugeribus an Nuzlocher damme. Item de duobus jugeribus juxta agrum Diemonis. Item de uno jugere apud aream buneſtege. Item quartale ſiliginis dabitur de duobus juxta agrum Diemonis. Item ſeptem ſumerini ſolventur de ſex jugeribus dictis des Lezeres agger. Item unum ſumerinum de duobus jugeribus uf der halber hûbe. Item ſex ſumerini de duobus jugeribus prope Schlangenbrunne. Item quartale ſiliginis de agro retro Capellam. Item ſex ſumerini de duobus jugeribus ſuper bun apud arborem dictam Diepboum. Item ſex ſumerini de duobus jugeribus uf der Durrembachis Graben. Item ſex ſumerini de duobus jugeribus imme Crophisloche. Ut autem prefatus Abbas et Conveutus de ſolucione predicte annone certiores efficiantur, predicti venditores bona infra ſcripta ipſis nomine ſubpignorum obligarunt,

ita

ita quod ſiquid ipſis Abbati et Conventui in bonis ante dictis depereat, reſpectum habeant ad ſubpignora ipſa et defectum annone predicte ſupleant in eisdem. Subpignus Conradi dicti Schrecker eſt unum jugerum imme Crophisloche. Subpignus Conradi ſororii ſui unum jugerum apud Eichenboſche bie des Hugeris anewender. Subpignus Wernheri unum jugerum et dimidium bi Adamisfurte tendentia ſuper prata ſua. Annonam vero prelibatam Conzelinus filius Schrecker congregabit et Colliget annuatim et ipſam dictis Abbati et Conventui in tempore debito in Wizzenloch preſentabit ac poſt ipſum aliquis ſuorum heredum ad ipſum tenebitur exequendum. Item conſtare volumus Univerſis, quod ſepedicti Abbas et Conventus emerunt a Conrado dicto Schreckere et ipſius conjuge Mehtilde ſupra dictis duo prata ſita in terminis antedictis, quorum unum recipit ab ipſis alter Conradus ſororius ipſius pro annuo cenſu octo unciarum hallenſ. in die beati Martini exinde perſolvendo et idem pratum ſitum eſt in loco Azzelnowe nuncupato, pro quo cenſu dictus

tus C. unum jugerum agri dictis Sconaugienſibus titulo ſubpignoris obligavit; ipſumque jugerum ſitum eſt ſuper bundam. Frater autem dicti C. nomine Wernherus ſuſcepit aliud pratum ab eisdem quod ſitum eſt an Wilrekeimer ſteige, de quo ſeptem uncias hallenſ. ſingulis annis ſolvet in die beati Martini pro quo cenſu ſolvendo poſuit ſubpignus jugerum unum ſitum in loco Adamisfurte vulgariter appellato et quia tam emptores quam venditores contractum ſive contractus antedictos atque ordinationem omnium ſubſcriptorum confeſſi ſunt publice coram nobis, nos ad ipſorum petitionem ſigillum noſtrum in robur et teſtimonium rerum geſtarum preſentibus duximus appendendum. Actum Anno Domini M°. CC°. nonageſimo tertio, in ſancte crucis exaltatione. (14. Sept.)

LXXVI.

Cenſus in Wizzenloch quatuor libre et undecim ſolidi. (1293.)

Judices Wormat. Noverint univerſi preſentium inſpectores, quod religioſi viri Abbas et Conventus de Sconaugia

 Ordi-

Digitized by Google

Ordinis Ciſterc. Wormat. Dioceſis emerunt juſto empcionis titulo a Sifrido et uxore ipſius Hildegarde nec non ab Heilmanno et uxore ipſius Alheide certos et annuos cenſus videlicet viginti unum ſolidos perſolvendos eisdem annuatim in feſto beati Martini de bonis infra ſcriptis ſitis in Opido Wizzenloch et in terminis ipſius. Primo de area Kalhardine quinque ſolidos hallenſ. Item de area Heinrici dicti Korner ſolidum. Item de area ante Heinricum Korner ſita quindecim hallenſes. Item de area textricis duos ſolidos. Item de area apud Sifridum ſolidum unum. Item de area ſartricis decem hallenſes. Item de area Wernheri preconis decem hallenſes. Item de area rotin et Hildegardis IIII^or ſolidos. Item de area ſita juxta vivarium Clerici tres ſolidos. De areis iſtis cadunt annis ſingulis quatuor capones et duodecim galline in cenſu. Quem cenſum ipſi non vendiderunt Abbati et conventui, ſed ipſum eis in ſubpignore obligarunt. Item dicti Abbas et Conventus emerunt ab Heilmanno et conjuge ipſius ſupradictis decem ſolidos cenſuales in feſto beati Martini ſolven-

vendos de bonis ſubſcriptis ſitis in Opido et terminis antedictis. In primis de uno jugere prati ſiti prope Hegenech. Item de tribus jugeribus agri contiguis ipſo prato. Item de uno jugere pertinente ad dotem juxta pratum ſepedictum. Item dicti Abbas et Conventus comparaverunt ſua pecunia à Sifrido et uxore ipſius ſupra memoratis duas libras hallenſ. in feſto beati Martini ſolvendas de tribus campis ſitis in terminis antedictis. In primo campo deputaverunt et aſſignaverunt ipſis unum jugerum prati et tria jugera agri adjacentia ipſi prato. Item in ſecundo campo quinque jugera agri amme oſinger in uno fruſto. Item tria jugera agri uf der bunden apud ſtratam Heidelbergenſem inter Heilmannum et Heinricum dictum Antlizze. Item in tertio campo aſſignaverunt ipſis unum jugerum ſuper birboumeswiſe juxta Heilmannum. Item ſuper Wilre unum jugerum apud Heilmannum. Item unum juger et dimidium Altrudis. Item comparaverunt iidem Abbas et Conventus a Conrado filio Schreckern et uxore ipſius Hildegarde libram hallenſ. cen-

 ſua-

Digitized by Google

ſualem de uno duali vinearum an Heckeholfe et tribus jugeribus agri an dem Wilrekeimer ſtege apud bruwel ſitis in predicto feſto Martini annis ſingulis ipſis et eorum monaſterio perſolvendam. Verum quia tam emptores quam venditores rem ſic geſtam ſunt confeſſi publice coram nobis, nos ad eorum petitionem ſigillum curie Wormatienſis preſenti ſcripto exinde confecto duximus appendendum. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. nonageſimo III°. in ſancte crucis exaltacione. (14. Sept.)

LXXVII.

Schonaugienſis redditus vini &c. ... coëemunt in Wiſsloch. (1293.)

Judices Wormatienſes univerſis hoc ſcriptum viſuris ſalutem in Domino ſempiternam. Preſencium ſerie proteſtamur et notum fieri volumus, quod religioſi viri Abbas et Conventus de Schonowe emerunt juſto titulo emptionis a Conrado dicto ſtreckere cive de Heidelberg et uxore ſua Mechtilde et a ſororijs ipſius Conradi videlicet Conrado et Wernhero dictis Streckere ac uxoribus eorundem Hildegarde et Mech-

tilde

tilde reditus annuos et perpetuos octo amarum et quinque quartalium clari ſive albi vini et boni ſpirenſis menſure. Item emerunt ab iisdem III libras hallenſium et X ſolidos minus IIII. hallenſ. quod vinum cum pecunia prelibata dictis Abbati et Conventui annis ſingulis de bonis infra ſcriptis ſitis in oppido Wizzenloch et in terminis ipſius perpetualiter perſolventur. Primo Lunin et heredes ejus dabunt amam vini de vinea an deme rotenberge. Item de vinea retro Hegenech dabitur una urna. Item de vinea zu bintloche dabuntur due urne. Item de vinea zu bintloche quatuor quartalia. Item de vinea ibidem due urne. Item apud Heckeholf dimidia ama. Item ibidem dimidia ama. Item de vinea ante Hegenech una ama. Item de vinea apud Egerden urna una. Item de vinea adjacente urna. Item de vinea an der bunden quatuor urne. Cenſus vero cadent hoc modo, in primis de tribus mansmat pratorum ſitorum inter caſtrum et opidum libra hallenſ. Item de prato zu roterſteige VIII. ſolid. Item de prato ſuperiori an demeſtege verſus Wilre X. ſol. Item de agro

gro campeſtri apud lancwiſen et de uno apud binrorhuſen ſex ſol. Item de prato in deme bruche tres ſol. Item de agro bi der lancwiſen XXX hellenſes. Item de agro ibidem XXVIII. hellenſes. Item de jugero ibid. XVI. hellenſ. Item de agro ibidem XVI. hellenſ. Item de agro ibidem VIII. hellenſ. Item de agro ibid. VI. hellenſ. Item de agro in deme loche ſol. unus. Item zu rotenſteige XX hellenſ. de agro. Item de agro apud Nuzlocher damme XIII. hellenſ. Item de agro in Groſcisloche X hellenſ. Item de domibus et areis ſitis in terminis ante dictis X. ſol. et IIII. hell. Hos autem reditus et cenſus commiſerunt Abbas et Conventus ſupradicti Conrado Schreckere filio Schreckeri annis ſingulis colligendos et fideliter ipſis et eorum cenobio preſentandos. Et Conradus ut ipſos Abbatem et Conventum ſuper aſſignacione et preſentacione memorata redderet certiores, obligavit eisdem Abbati et Conventui pratum ſuum habens ſpacium duorum jugerum ſitum zu eichehe pro ſubpignore, dictumque pratum communicata manu uxori ſue aſſignavit el tradidit Abbati

et

et conventui ſupradictis proprietatis titulo. Recepitque ipſum precium ab eisdem jure hereditario poſſidendum pro duobus hallenſ. ipſis in feſto Martini annuatim ſolvendis, hoc adjecto, quod quicunque poſt ipſum C. dicti prati poſſeſſor extiterit, colliget et preſentabit ſub forma predicta cenſus et reditus antedictos. Supradictum vero vinum dictus C. Abbati et conventui ſtatim poſt vindemiam in vas ipſorum eidem aſſignandum a fratribus Sconaugienſibus preſentabit. Cenſus quoque prenotatos in feſto beati Martini tenebitur aſſignare. Quod ſi vinum et cenſus non dederit et preſentaverit ut eſt dictum ſive in parte ſive in tota ſolucione deficiat, pratum ſupradictum ad cenobium Sconaugienſe libere et ſine contradictione qualibet devolvetur. Quo ad Sconaugienſes devoluto ſiquis ipſos in eodem prato preſumpſerit impedire nobis vel noſtris ſucceſſoribus judicibus Wormat. quatuor libras hall. componet, advocato vero de Heidelberg libras tres dare tenebitur ad emendam. Teſtes hujus contractus et ordinationis ac geſtorum omnium et ſingulorum predic-

dictorum ſunt, Wernherus plebanus, Conradus dictus Waltman. Gerhardus filius Kummers. Conradus Wizenbecker, Sifridus de Oſtringen, Conradus dictus Hone, Hugo Setere, Gerhardus ſcultetus de Kircheim, Conradus Faber, Hugo frater ejus, ſcultetus dictus Kummer, Heilmannus de Waldeck et alii quam plures. Verum quia hec coram nobis rite geſta ſunt, nos ad peticionem tam venditorum quam emptorum ſupraſcriptorum ſigillum curie Wormat. preſentibus duximus appendendum, quibus etiam ſigillum civium Heidelbergenſium eſt appoſitum in teſtimonium omnium premiſſorum. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. LXXXX III°. in exaltatione ſancte Crucis. (14. Sept.)

LXXVIII.

De libertate in Lautemburg Emichonis Wormatienſis Electi et Confirmati (1294.)

Emicho Dei gratia Wormat. Electus et confirmatus dilectis in Xpo Abbati et Conventui monaſterii Schonaugienſis ord. Ciſterc. ſalutem et ſinceram in Domino Karitatem. Reſpectu devotionis

tionis et fidei quas ad monaſterium veſtrum et perſonas habemus et precipue ratione civilitatis, quam in civitate noſtra Laudenburg vobis contulimus et conferimus in hijs ſcriptis vobis et monaſterio veſtro auctoritate preſentium indulgemus, quod quoad molendinum et Curiam veſtram in Lautemburg, vinum et bladum ac res alias, quas ducere, deducere, emere, vendere vos contingit, ibidem, a vigiliis nocturnis faciendis, exactionis impenſa, precaria, thelonio et quolibet alio genere inconſuete et indebite ſervitutis ſitis in antea liberi et exempti, dantes vobis et monaſterio veſtro preſentes litteras ſigillo noſtro ſignatas in teſtimonium ſuper eo. Datum et Actum Anno Domini M°. CC°. nonageſimo IIII°. die beate Agathe virginis. (5. Febr.)

LXXIX.

Cenſus in Wizzenloch, Nuzloch et Bergeheim. (1294.)

Judices Wormat. univerſis preſens ſcriptum viſuris notitiam ſubſcriptorum. Tenore preſencium declaramus teſtimonium perhibendo, quod religioſi viri Ab-

Digitized by Google

Abbas et Conventus de Sconaugia Ord. Ciſterc. Worm. Dioc. emerunt juſto emptionis titulo a Cunrado cognomine Schreckere cive Heidelbergenſe et ab uxore ipſius Mehthilde viginti jugera agri campeſtris infra ſcripta et quartale jugeri ſita in terminis oppidi Wizzenloch videlicet in campo inferiori apud agrum Dimonis quatuor jugera, item tria jugera zu Cropheslоche. Item dimidium in den Wingarten. Item unum jugerum dictum der Lumorgen apud Ducem. Item unum jugerum vor dem damme. Item Waltmannum et Sifridum de Oſtringen. Item ibidem dimidium quod eſt ein anwendere et vergit ſuper preſcriptum jugerum vorax damme. Item duale vor dem berge inter Concelmum et Wernherum. Item in alio Campo verſus eiche unum jugerum in der Owe. Item dimidium an der hovesſtat apud Hugonem fabrum. Item duo et dimidium an dem grozen ackere an eicher wege. Item an der wannen uf der Lunenwiſen unum jugerum. Item unum et dimidium an der Mungoltisheimer ſtraze conſulcaneum Wernhero. Item uber der Lache jugerum dic-

Digitized by Google

dictum anwendere. In tercio campo an dem brûwelphade jugerum conſulcaneum friſchingo. Item dimidium uber dem Bruwel ducis. Idem dimidium zu Haſelbrunne conſulcaneum domne de Ubeſtat. Que jugera ſive agros poſt vendicionem fratrum receperunt conjuges memorati ab Abbate predicto jure hereditario poſſidendos ita quod annis ſingulis in feſto Martini monaſterio Sconaugienſi duas libras hallenſ. inde ſolvant. Poſtmodum dicti Abbas et Conventus emerunt ab Heilmanno de Waltdorf et uxore ſua Alheide viginti et unum jugera agrorum ſita in terminis opidi prenotati videlicet in campo verſus Hegnehe quatuor jugera apud Wegelange inter Sifridum et Cunradum Schreckere. Item zu Hegenech jugerum inter Heinzelinum dictum hunger et dotem. Item apud ſalices duo jugera. Item dimidium uf dem Wile inter Sifridum et Dominam de Ubeſtat. Item dimidium an Adamisfurter wege inter Sifridum et Dominam de Ubesſtat In alio campo verſus Eichehe in den creben jugerum et dimidium apud Sifridum. Item jugerum et dimidium inter

ter Sifridum et Domnam de Ubeſtat. Item zu birboumes wiſen jugerum apud Sifridum. Item an der Furt zu willerbrunne jugerum et dimidium apud Sifridum. In tertio campo verſus ſtratam Heidelbergenſem tria jugera inter Sifridum et Domnam de Ubeſtat. Item ibidem duo jugera apud Sifridum. Item jugerum et dimidium apud Eichelboſche. Item jugerum zu Adamisfurte, quos agros Abbas et Conventus antedicti conceſſerunt dictis Heilmanno et ipſius conjugi pro cenſu annuo videlicet duabus libris hallenſ. in die beati Martini ipſis perſolvendo. Item Abbas et Conventus predicti comparaverunt ab eodem Heilmanno et ipſius uxore decem et octo jugera agrorum ſita in terminis oppidi prelibati, videlicet ante Hegnehe ſex jugera apud Sifridum. Item über der Mungoltisheimer ſtrazen ſex jugera apud Sifridum. Item uber Adamisfurter wege in duobus fruſtis quinque jugera. Item zu Widebern jugerum inter Sifridum et Conzelinum, quos agros Abbas et Conventus conceſſerunt eisdem conjugibus pro duabus libris hallenſ. ipſis et eorum monaſterio in Aſſump-

ſumptione beate Virginis Marie Annis ſingulis perſolvendis. Preterea Abbas et Conventus antedicti emerunt à Wernhero cognomine Schreckere et Mehtilde conjuge ſua unum jugerum vinearum in terminis ville Nuzloch ſitum retro domum H. ſutoris, quod iidem conjuges iterato receperunt pro cenſu unius libre hallenſ. in feſto beati Martini dictis Abbati et Conventui perſolvendo et ipſi conjuges ad majorem cautelam duo jugera pratorum hoc eſt zwei Mannesmat ſita zu Azzelnawe in terminis opidi Wizzenloch pro ſubpignore obligarunt. Inſuper Abbas et Conventus ſepius memorati emerunt à Gerhardo de Kircheim et Mehtilde uxore ſua triginta duo jugera agrorum ſita in terminis ville Bergeheim in Campo inferiori verſus Nekarum. Item unum jugerum ſitum an dem Galgenwege quod eſt vinea. Item quartale vinee ſitum an dem engen Gazzeline. Item quatuor uncias cenſuales hallenſ. de curia ſua ibidem. Item ibidem duos ſolidos hall. cenſuales de area ſita prope curiam Sconaugienſem. Que omnia per Abbatem et Conventum dictis conjugibus ſunt conceſſa

Digitized by Google

ceſſa jure hereditario pro duabus libris hallenſ. ipſis Abbati et Conventui in Nativitate beati Johannis Baptiſte annis ſingulis perſolvendis. Sane bona omnia ſupra ſcripta conceſſa ſunt taliter et locata, quod inter heredes nullatenus dividentur, ſed quelibet bona ad unum ſolummodo de ſuis heredibus indiviſa et integra devolventur. Quicunque vero dictorum bonorum fuerint poſſeſſores, cenſus idem debitos temporibus conſtitutis et ſuperius annotatis Nuntiis Monaſterii Sconaugienſis ſine more diſpendio aſſignabunt alioquin quicunque ſecus fecerit, cenſum ipſum octavo die poſt ſequenti Heidelbergam in molendinum monachorum Sconaugienſium magiſtro ipſius molendini ſuis periculis et absque dampno quolibet monachorum tenebitur preſentare, quod ſi non fecerit mox die continuo ſequenti bona ipſius libere et ſine contradictione ad prefatum monaſterium devolventur, nec eidem quoad hoc aliquod juris auxilium ſuffragabitur eccleſiaſtici ceu civilis. Si vero, quod abſit, aliquis auſu temerario fratres monaſterii prelibati in bonis ad ipſos totaliter devolutis pre-

preſumpſerit moleſtare vel modo quolibet impedire, nobis aut noſtris ſucceſſoribus judicibus Wormat. quatuor libras hallenſ. componat, Advocato de Heidelberg tres libras, ſculteto et ſcabinis in Heidelberg tres libras dare tenebitur ad emendam. Salvo nichilominus monaſterio Sconaugienſi per omnia jure ſuo. Verum quia hec omnia coram nobis rite geſta ſunt et legitime celebrata, nos ad peticionem tam venditorum quam emptorum predictorum ſigillum curie Wormat. preſentibus duximus appendendum. Acta ſunt hec Anno Domini M°. CC°. nonageſimo quarto. Pridie idus Aprilis. (12. Apr.)

Anno MCCXCV. ipſa Dominica *Oculi* (6. Mart.) Emicho Wormatienſis Epiſcopus litteras fundationis monaſterii Schonaugienſis autographas an. 1142. factas, nulla ſui parte vitiatas ſed illæſas exemplavit. p. 5.

Digitized by Google

LXXX.

Emicho Epiſcopus Wormatienſis Abbati et Conventui monaſterii Schonaugienſis indulget, ut tempore interdicti in Diœceſi Wormatienſi divina celebrare valeant. (1295.)

Emicho Dei gratia Epiſcopus Wormacienſis dilectis in Xpo Abbati et conventui Monaſterii Schonaugienſis ſalutem in Domino ſempiternam. Ne veſtre religioſe converſacionis intenta devotio, quam circa divinum Officium mente ſollicita geritis, minuatur, immo pocius ſalubriter in omnibus, prout convenit, augeatur, veſtris poſtulationibus favorabiliter annuentes, vobis auctoritate preſencium indulgemus de gratia ſpeciali, ut quandocunque ad loca, que auctoritate noſtra vel judicum noſtrorum, que Eccleſiaſtico ſunt ſubpoſita interdicto, vos contigerit devenire, poſſitis de noſtra licentia clauſis januis, excluſis hominibus ad dicta loca pertinentibus ſubmiſſa voce divina celebrare Officia licite ſine nota. Dummodo cauſam non preſtiteritis interdicti. Datum Wormacie Anno Domini M°. CC°. nona-

nonageſimo V[to] III. nonas Januarii. (3. Jan.)

Dominica ante Thomæ Apoſtoli proxima, auctoritate Rudolphi Comitis Palatini et Ducis Bavariæ leges pacificationis ſtatuuntur inter Schönaugienſes et villanos in Blanckenſtatt, ut Abbas et Conventus bona ibidem quietè et pacificè poſſideat. p. 298.

LXXXI.

Schönaugienſis Abbatia emit medietatem curiæ ad Pauenecken Wormatiæ. (1298.)

Conſules univerſi cives Wormacienſes conſtare volumus preſentium inſpectoribus univerſis quod conſtituti in noſtra preſentia Emicho Gutiari ac Albeidis conjuges, nec non eorum pueri noſtri concives recognoverunt et profitebantur aperte, quod cum pro medietate curiæ dictæ ad Pawenecken 1) et pro medietate cujusdam orti ſiti interius portam pavonis nec non pro quibusdam vineis in Oſthoven ſitis, quas Domina Elizabeth dicta Zweinbrucken bona momoria ſoror predicti Emichonis Gutiari ipſi Emichoni et ſuis hæredibus

contulit et donavit, quidam ſcrupulus diſcordiæ verteretur, tandem mediantibus viris diſcretis, ad hoc convocatis in dicta diſcordia conventum fuerat et ſtatutum; quod dicti conjuges manu communicata, eorum heredibus ad hoc conſentientibus medietatem predictæ curiæ ad Pawenecken et medietatem orti ſupradicti viris religioſis Domino Abbati et Conventui de Schonogia pro centum et ſexaginta tribus libris hallenſium, ipſis conjugibus integraliter perſolutis, juſto venditionis titulo ſponte et libere vendiderint, Et ne heredes prædictorum conjugum in medietatibus curie et orti predictis, quæ ad ipſos poſt obitum dictorum conjugum pleno jure devolvi debebant, periclitarentur, vel in aliquo defraudentur prenominati conjuges deſignaverunt eorum heredibus prædictis dictas centum et ſexaginta tres libras hallenſium, ſuper curia eorum quam inhabitant, quæ quondam fuit Henrici Rufi, ac ipſam dictis eorum hæredibus pro ſubpignore obligarunt, quod dictas vineas in Oſthoven ſitas ipſis conjugibus ac eorum hæredibus a prelibata Elizabeth col-

collatas vendere non debent nec obligare alienis, ſed tantumodo uſufructum de eisdem vineis tempore quoad vixerint recipient et poſt obitum eorum ad præfatos ipſorum hæredes, quos ſimul habent, libere devolventur, appoſitum eſt et condictum ſi prænominati conjuges facultatem habuerint, ita quod ipſis de ipſorum debitoribus fuerit perſolutum, quod pro centum et ſexaginta tribus libris hallenſium aliqua bona ſæpedictis eorum hæredibus compararent, infra civitatem Wormatie in recompenſationem curiæ et orti predictorum quos vendiderunt, ex tunc curia præfatorum conjugum dictis eorum heredibus pro ſubpignore obligata liberabitur a ſubpignoratione predicta et ipſi conjuges uſum fructum et utilitatem de bonis eisdem comparatis tempore quoad vixerint, percipient et habebunt, poſt obitum vero amborum eadem bona ad hæredes eorum predictos libere devolventur, condictum eſt etiam et conventum, ſi prænunciati conjuges adeo indigentes efficerentur, quod Deus avertat, quod curiam eorum quam inhabitant heredibus pro Centum et ſexaginta

xaginta libris hallenſium ſubpignoratam vendere contingeret, ex tunc primo et principaliter de pecunia ex venditione ipſius Curie proveniente debent accipi centum et ſexaginta tres libræ hallenſium et in redditus aliquos infra civitatem Wormatiæ converti, quod redditus ſive uſum fructum de eisdem bonis ſic emptis dicti conjuges ad dies vitæ ſuæ recipient et percipient et poſt ipſorum obitum dicti redditus ad eorum hæredes prælibatos devolventur. Cum reſidua vero pecunia ex dicta venditione eorum Curiæ proveniente antedicti conjuges diſponere poterint et facere omnia, quæ eorum placuerint voluntati, in cujus rei teſtimonium preſentem literam ad preces dictorum noſtrorum concivium ſigillo civitatis noſtræ dedimus roboratam. Datum et actum ſub magiſtro noſtro Wilhelmo Ammele. Anno Domini M. CCXCVIII. die beati Lucæ Evangeliſtæ. (18. Oct.)

(L. S.)

1) Infra curiam Schönaugienſem hodiedum exiſtentem ad portam Pavonis, das pfauenthor, quæ nunc compellatur das viehe - thor,

LXXXII.

LXXXII.

Schönaugienſes vendunt Abbatiæ Wadgaſs curiam ad Pauenecken Wormatiæ. (1299.)

Noverint univerſi Chriſti fideles, tam preſentes quam futuri litterarum preſentium inſpectores, quod nos Fr. Fridericus dictus Abbas, totusque conventus monaſterii Schonaugienſis ordinis ciſtercienſis Wormacienſis dyoceſis pro noſtris utilitatibus et neceſſitatibus evidentibus et ad procurandum nobis et conventui noſtro utilia et proficua, deliberatione habita inter nos diligenti de conſenſu et permiſſione religioſi patris et Dni abbatis Eberbacenſis juſto venditionis titulo ſponte et libere vendidimus viris honorabilibus ac religioſis Domino abbati et conventui Eccleſiæ Wadegocienſis *) ordinis premonſtratenſis Trevirenſis dyoceſis curiam noſtram dictam ad Pawenecken cum attinentiis omnibus prout ſita eſt et ortum eidem curiæ adjacentem ex oppoſito ejusdem curiæ, ſitos in civitate Wormacienſi predicta pro quadringentis libris hallenſium et profitemur dictam pecuniam nobis eſſe plane numeratam et

et ſolutam ac præfatis abbatem et Conventum Wadegocienſem de dicta pecunia ſoluta et numerata quitos et ſolutos Clamamus et dicimus ac eis litteris preſentibus refutationem facimus pecuniæ ſupradictæ ac ipſam pecuniam in uſus et emendationem noſtri conventus converſam confitemur, dictamque curiam et ortum dictis Abbati et Conventui Wadegocienſi coram conſulibus civitatis Wormatienſis conſuetudinis fuerat atque juris preſtamus etiam hijs litteris pro ipſa curia Warandiam debitam et conſuetam renunciamus etiam omni privilegio ordini noſtro inducto exceptioni doli metus et in factum ac omni juris beneficio canonici vel civilis actioni exceptioni, judicis officio, in integrum reſtitutioni Litterarum impetrationi, conventioni, impetitioni juris et facti, omnibus et ſingulis auxiliis et beneficiis, quæ nobis competere poſſint in preſenti vel in futuro ad reſcindendam et impediendam emptionem ſupradictam. In teſtimonium præmiſſorum ſigillum religioſi patris noſtri et domini abbatis Eberbacenſis et noſtrum preſentibus apponi fecimus in evidentiam amplio-

pliorem datum anno Domini. M°. CC°. XCIX. in vigilia beati Nicolai Epiſcopi (5. Dec.)

Sigillum abbatis in Eberbach | Sigillum abbatis Schonaugiæ.

*) Wadegotia, Wadgaſſ ad Saram in Auſtraſia.

LXXXIII.

Rudolf Pfalzgrave verkauft dem Cloſter Schönau das Dorff Sonthofen. (1300.)

Wir Rudolf von Gots Gnaden Pallencz grafe by dem Ryn unnd Hertzoge zu Bayern dun kunt allen den dy diſen brif ſehent adir horent leſen. daz wyr vor uns unſern lieben brudir Ludewigen und unſer erben daz dorf zu Sonthofen geben und han gegeben zu Kauf vor eyn richtigen eygen ewiclich zu beſiezen beſucht und unbeſucht zu Velde zu weyde zu holtze zu waſſir zu Straſſe. Dye Kornbede die Zynſe wy ſie vallende ſint ez ſy an phenningen oder an hunren di wiſen dy der bruwel heiſzet und den ubirſchlag und daz Scholtheiſzen Ampt unſerm herren dem Abt und der Bruderſchaft zu Schonawe

nawe ane ſo vil daz wir uns haben behalten dye Vaudye. dot ſlege. diſſe. notnuſt. fliſende wunden und andir hoch freuel. um druhundirt phunt und virzig phunt heller. Ez iſt auch die ſture von unſern vordern ſymlichen unſern getruwen hindan zu lehen verlihen und iſt iz daz ſy di witdir keiſent odir wy ſie die wetdir gewynnent daz iſt und ſal unſir gut wille ſyn myd der Beſcheidenheit daz wyr unſer Manſchaſt id do von verheſen, wir haben uns auch behalten daz ubirfar zu fertelfar daz wyr yn myd dem vorgenannten Gude nyt virkauft haben. Wir mogen auch von unſern eigen Luden yn dem ſelben dorff bedd und andern dinſt fordern als ſydlich und gewohnlich iſt. und von andern Luden di do ſint ſollen wir deheynen andern dinſt und der dinge ſint dedingir geweſen. und ſint auch gezuge Johann von dem Steyne unſir viczdum bi dem Ryn Gotfrit unſer ſchriber wolf Drigel unſer Vaud zu Wiſſenloch und Anſeln unſir Jude zu Heidelberg. und daz daz ſtede blibe unnd unzerbrochen geben wyr yn dyſen unſern bryff virſigelt myd unſerme Inſigel.

Der

Der Briff iſt gegeben zu Heidelberg do von Criſtes gebort waren und waz in dem druzehen hundirteſten Jare an ſant andreas abint. (29. Nov.)

LXXXIV.

De molendino in Wibelingen. (c.1303.)

Gerhardus Pincerna de Ertpach omnibus hoc ſcriptum cernentibus tenore preſencium notum facimus Univerſis, quod cum Collegium Sconaugienſe quoddam molendinum Eccleſie in Wibelingen attinens de paſtore ejusdem Eccleſie pro quodam cenſu annuo et perpetuo recepiſſet, nos ſuper eodem molendino aliquamdiu poſſeſſionem eorum impedivimus, Poſtmodum vero predicto collegio jus ſuum recognoscentes ipſum molendinum eis dimiſimus omnimodis abſolutum, promittentes coram pluribus immo fidejuſſoria cautione firmantes, quod de cetero in eodem molendino ipſos nullatenus impediemus. ...

Digitized by Google

LXXXV.

De puteo in Curia Schonaugienſi Wormatiæ. (1309.)

